














NOTAE VNGVENTI MAGNETICI ET EIVSDEM ACTIONIS.

QVAS

IN CELEBRI ET CATHOLICA VNIVERSITATE DILINGANA,

PRAESIDE

GASPARE WENCKH SOCIETATIS IESV PHILOSOPHIÆ PROFESSORE ORDINARIO

publicabunt

REVERENDI ORNATISSIMI Doctißimi Domini Philosophiæ Candidati,

ANNO CHRISTIANO CIϽ. IϽC. XXVI. Quinto Calendas Quintiles.

Cum Facultate Superiorum.

(o)

DILINGÆ,

Formis Academicis.

Apud IACOBVM SERMODI.



MARIAE

CÆLITVM REGINÆ
AVGVSTISSIMÆ
POTENTISSIMÆ

VIRGINVM SAPIENTISSIMÆ
MATRI ADMIRABILI
SAPIENTIÆ SOLI.

SS. IGNATIO
ET
XAVERIO

MAGNÆ MATRIS
MAGNIS CVLTORIBVS
ÆTATEM DEBITI
CVLTVS MONVMENTVM

D. D.

CANDIDATI CLIENTES.





PROOEMIVM.



Edicorum Apollo Hippocrates lib. de decenti ornatu, Cocleni, cuncta quibus ad Sapientiam opus, medicinæ inesse vult: pecuniæ scilicet contemptum &c. Modestiam &c. Fugam mercimoniorum & superstitionis. Quæ ornamenta Medicorum cum te videam insuper habere, pessundata Modestia, in tam puerilibus & anilibus conuitiis consarcinandis in P. Ioannem Roberti, virum Societatis nostræ doctrinâ præstantem, vitâ, moribusque, quem contra tuas calumnias autoritas Magistratus Ecclesiastici ciuilisque defenderet, si opus foret. affectata superstitione vnguenti Magnetici; prioris te admonere volui ex tuæ artis principiis; posterioris accusare amore veritatis, nō altercādi studio, ne paulatim philosophiæ pallio & Magiæ naturalis mātelo Magia Nigra se velaret. Sicut sub schemate Medicinæ à ciniflonibus Agyrtis passim *Turbethum* minerale pro Mercurio vitæ magnō precio vēditur, *corallium* in calcem redactū pro panacea opifera proclamatur, *Aqua vitæ* crocō tincta pro auro potabili propinatur, *ferri præusta lanugo*, quam crocum Martis vocant, ad-

misto aliquo fuco pro auri tinctura iactatur. nam vt Aristoteles noster 4. Met. t. 26. non omne quod videtur & apparet, verum est.

SYNOPSIS.

DEfensio Magneticæ curationis vulnerum impressa Francofurti priori anno extructa est sex punctis inter quæ princeps mira hæc vulnerum curatio ex cuius philosophiæ principiis sit demonstranda? 2 quâ ratione vel potius medio virtus à telo vnguento delibuto propagetur, ac perueniat ad vulneratum absentem & vulnus? 3. Naturæ occultè agentis, h. e. Sympathiarum & Antipathiarum mira ac varia exempla proferuntur ex autoribus probatis & bonis (præfiscine dixeris) 4. clarioris demonstrationis & confirmationis gratia accedit historia mirandarum virtutum viriumq́, incognitarum herbarum quarundam & animalium 5 Curationis Characteristicæ & sigillorum naturalium defensio. 6. Et tandem ipsius vnguenti descriptio & vsus.

§ I.

Ex Qua philosophia sit hæc curatio.

PRius inueheris in Inscitiam plurium quàm respondeas, sicut tuus est mos: cui nisi magnam scientiam opponas nemo dolebit illius ianam scientiam Acturá *Illa autem scientia inquis, est philosophia Astralis, Sideralis, seu Magnetica, cognitio scilicet proprietatum spiritualium totius naturæ h. e. magni*

gni & minoris mundi, consistit autem, (vti pergis) *in Sympathismo seu Magnetismo, & Antipathismo (seu Theamedismo, quia Theamedes lapis respuit ferrum) vterq; verò per Astralismum* perficitur mediante Synarthrismo spiritûs seu animæ mundi communissimæ, secretissimæ, mysticæ. Ex quibus verbis has notas deduco. 1. tuam philosophiam esse solùm *astralem*, quæ vix minimæ particulæ peripaticæ respondet, libris dè cælo; immo minori minimæ, videlicet quæstiunculæ de *Influentiis*; quã ne iactes ab Academicis ignorari, en Neoptolemos publicitùs defendentes, qui per actionẽ indistans vnguẽti illius fortassis vngent calceos, vt meliùs stent. 2. reliquas partes philosophiæ te ignorare, vel negligere, quorum neutrũ doctiorem faciet, sed necessariò infinitis erroribus obnoxium: quid enim sine cognitione principiorum philosophicorũ sciri possit iudicẽt prudentes, tu cõsule veteres, quorũ deliria totus etiãnum mundus ridet: nisi *Homœmeriam*, *Atomos*, *Chaos*, *Ideas Platonicas Colchodeã* per tuum spiritum mundi suscitare velis. 3. te omnia principia negaturum, contra quẽ proinde disputandum non sit. 4. te Logicam nescire sine qua nemo philosophus est, multo minus professor, cum sit modus sciendi: si nullam aliam partẽ philosophiæ didiceris nisi astralem. quoties ergo non Epomide, sed sacco vestiêre in tuis disputationibus, vt adeò dignior sis illâ nomenclatura

cudonis, quam P. Ioannes Roberti. 5. te non esse Medicum Rationalem, sed Empiricum, omnia solo euentu metientem non ratione, vti frequẽter facis in hoc libello immemor refutationis à Nobilissimo Medico Raymundo Minderero in sua Threnodia medica c. 14. his verbis contentæ: *Si quis dolis aut furtis diues euaserit, sensus eum diuitem simpliciter iudicabit, vtpote quem de facto bonis affluere experitur: ratio autem quâ occasione, quóue modo diues euaserit perquiret, & non tantùm quid sit, sed quà conditione sic se habeat examinabit, ac proinde nullas eas diuitias reputabit, quas malo titulo partas citò quoq; perituras esse nouerit. Simili planè ratione telungio vtentes cum se sanatos esse vident, de tam felici opere sibi gratulantur, & quid fecerint vident quidem; sed quomodo id effecerint haud agnoscunt. multa facere non est artis, sed multa rectè* hæc ille. nõ ergò sufficit astralis philosophia, quæ nequit ex logicæ legibus rerum naturalium reddere causas à priori vel posteriori, & doctiori analysi asserta quælibet ad sua principia reducere, vt etiam Doctoribus & Academiis satisfiat, non tãtùm stibiariis, & pharmacopæis. II. Quomodo hæc philosophia est cognitio proprietatum spiritualiũ totius naturæ hoc est magni & minoris Mũdi, si non plura doceat scire quam 1. *Antipahtiam.* 2. *Sympathiam.* 3. *astralismum* seu *Influentias.* 4. *synarthrismum* spiritus seu animæ mundi, siue vt-

tei-

teipſum explicas connexionem ſublunarium cum aſtris. nihil ergò ſcis de *lumine*; quod inter hæc quatuor non eſt, & tamen ob ſuam nobilitatem à quibuſdam inter ſpirituales qualitates numeratur: vide Franciſcum Patricium lib. 1. panaugiæ, & dictionarium pauperum, c. 63. Sed ex obſcuritate paracelſica ſatis apparet parùm te lucis amare cum tuis artibus, & libris. 2. nihil de motu locali cæleſtium corporum, quo ignorato nemo bonus Aſtrologus eſt: quomodo ergò philoſophiam aſtralē intelliges? hæc autem, vt cætera mittam, ſequūtur, ſi nullam aliam philoſophiam admittas niſi hanc his quatuor paradoxis compactam. Si verò plura velis ſcire concedes vltro in noſtram philoſophiam, ex cuius principiis delibutio tua ſe prodet in conceſſam. præter hæc quatuor generalia principia tuæ philoſophiæ videris deinceps velle. 22. particularia afferre, ſed inſpicienti patebit meram eſſe tautologiam prius dictorum videlicet antipathiam & Sympathiam rebus, inſitam eſſe. 2. occultas qualitates & vires ſublunaribus. 3. ſingulis rebus certum dominari aſtrum. 4. nullam actionem fieri poſſe n. 17. ſine contactu materiali vel ſpirituali, ſuppoſiti vel virtutis, vt peripatetici loquuntur: quod eſt quidem aliquid peculiare, ſed non patrocinans vnguini tuo. 5. Qualitates alias materiales eſſe, alias formales, priores materiæ temperamenti proprias eſſe, nec effectus

producere valentes nisi alienâ operâ de potentia in actum excitentur, sicut in pharmacis patet, quæ ad vires suas effectusq; exercendos ingenito calore indigent, & has materiæ immersas adhærere, crassiores ac ignauiores esse. posteriores substantiam necessariò comitari, & formis propiores esse, tantæque penetrationis, vt in res diuersissimis à se disiunctas interuallis actiones suas extẽdant atque diffundant. hoc dictum etiam peculiare quidem est, sed inauditum apud omnes sanos Medicos & Philosophos nullum materiæ præter Quantitatem proprium accidens admittentes: tu integrum temperamẽtum tribuis: quomodo aliud formarum temperamentum secum pati potest? sed quæso pertenta pulsum, & vide vbi sint duo illa temperamenta manus tuæ? 2. quînam aliæ Qualitates inhærent materiæ, aliæ formæ? quâ purgatione noxias Qualitates per antipathiam tuam inuolantes formam ex ea sola expelles, vt non attingas materiam? 3. nonne ipsæ formæ omnes præter humanam materiæ inexistunt, cur non ergo etiam eiusdem Qualitates?

III. Hæc sunt vniuersa principia tuæ philosophiæ: ex quibus sequuntur hæ notæ. 1. non esse responsum ex qua philosophia sit tua curatio Magnetica, cuius enim philosophiæ sunt hæc ipsa ptincipia? non adeo communia tei-

te ipſo teſte: olim quæ philoſophiæ celebres fuerint, noſti; noſtris ſæculis in publicis Academiis Thomiſtarum, Scotiſtarum, Nominalium claruerunt, vindices veritatis contra Auerroiſtas & impios Arabes, qui tamen Ariſtotelē commentati non aſpernati fuêre. aliam publicum nondum vidit, niſi ſub occultis ſchediaſmatis Paracelſiſtarum, & Roſæcruciorum. Dic ſodes cuium pecus? an times Ptolomæum, lib. 1. cap. 2. & 3. *obiicientem, quia non bona fide quod artis ſuæ eſt exercent, & quia inanem, & temerariam profitentur ſcientiam, & quia Reipub. ac principibus maximè pernicioſi ſunt ſemper malè audiuêre, adeoq; eos ſuæ conditionis ac vitæ pudet, vt non audeant publicè ſuam artem profiteri.* apud Alexan. de Angelis lib. 2. c. 2. II. ex principiis his tam generalibus quam particularibus potiſſima nulla eſſe. Quis enim eſt ille *ſpiritus mundi*? niſi quem Marinus Merſennus in Geneſin cap. 4. Verſic. 10. art. 5. his verbis depingit: *Goclenius per ſuam magicam & nobiliorem cauſam, nempe ſpirituale vehiculum, & vinculum illam vulnerati abſentis ſanationem explicat, & lucidum mundi ſpiritum cælorum Rectorem, ſeu vaporem mediæ inter corporatas & incorporatas ſubſtantias naturæ, opificem, ſculptorem & formatorem introducit, vt magnetica curatio formis quibuſdam inter vulnus & vnguentum*

mediâ intercapedine mutuo occursu vnitis contingat: verùm cum hæc anima mundi nulla sit, ab ea diligentius cauendum, quo peius audiunt illi tenebriones, qui eam post Platonem, Iamblichum, Macrobium, Apuleium, Thaletem & Agrippam reuocare satagunt, ex ea siquidem illa portenta concluderentur. 1. cælestem illam animam esse fontem omnium animarum, quæ fabricatori Deo subseruiat apud Apul. de dogmate Platonis. 2. mẽtem vniuersalem esse, quâ singuli intelligant, vt impij Arabes cum Auerroe crediderunt. 3. non solùm Magi, sed etiam Athei hac anima & hoc vehiculo spirituali suas impietates tuerentur: Et vt clarior sit huius spiritus nomenclatura ex tuis & aliorum scriptis vocat illum alibi Incolam naturæ inuisibilis, animæ mundanæ scintillulam magneticam agentem efficacissimè, cæli imaginationem, & eius animam solem macrocosmicum.

IV. Sed quid ex mente tua spiret hic spiritus examinemus; accidens vel substantiam facis tanquam transcendens pro varietate rerum, quibus coniungitur, & paulo post omnium mirandorum effectorum insinuas esse causam. Nota 1. hoc principium ex philosophia Paracelsi esse, Ernesti Burgrauij Lampade, Panaplo. Crollij Basilica & Archimago Agrippa, ne dicam Rhodostaurorum hodiernorum, quorum te puduit philosophiam fateri. 2. contra tuos auctores asseris

ris mundi animam esse accidens, qui dicunt illum esse viuens & spirans substantiale principium omnium actionum totius vniuersi, vide Platonem in Timæo an verè dixeris hic Plato loquitur: nisi cum Academicis apud S. August 7. de ciuit. Mũdi animam ex lineis in circuli figuram conuolutis, & ex numeris harmonicis componas. 3. quomodo est Transcendens ad substantiam & Accidens, si est accidens; nónne logicorum summulæ clamant transcendens esse neutrum suorum mẽbrorum, sed aliquid abstractum & Superius, sicut ens nec est substantia nec Accidens, & substantia summum Genus nec spiritus nec corpus. 4. vel intelligis animã veram Physicam, vel metaphoricam cum Chymicis, vtrinque peccas; prior non est accidens, & si diceres tu, solâ absurditate refutatum satis foret. posterior, multo minus, vt videbis in Tirocinio Chymico Ioannis Beguini lib. 2. c. 4. Qui sensibilium corporum principia ex Alchymistarum furno non nisi tria admittit, quæ sunt *Mercurius*, qui est liquor acidus penetrabilis æthereus purissimus Aeri & Aquæ affinis. *Sulphur*, *Sal*: in hæc enim aiunt mixta resolui, atque ex viridi ligno vstulato quod exeat primò, *aquosum quid*, & inflammationi ineptum esse, at in fumum conuersum, si colligeretur in aquam resolui; (hæc fortasse causa est cur aliquando camini destillẽt sudo cælo, vel lacunaria & parietes lignei siccissimi fumo hoc afflati) nec hac ratione

è flam-

è flamma potum petere impoſſibile, diciq́ue Mercurium. 2. *oleaginoſum* quid inflammabile facile ebullire, quod in vapores reſolutum, ſi cohibeatur, in oleum confluat, vocarique ſulphur 3. *ſiccum* & terreſtre remanere, quod ex cineribus aquæ beneficio extrahitur, inque humido & frigore ſoluatur, calore autem concreſcat, & ſal nominari: ſic in lacte butyrum eſt ſulphur, ſerum Mercurius, caſeus ſal: in ouo albumē Mercurius, vitellus ſulphur, putamina pelliculæq; ſal: in lini expreſſione oleum emanat, ab oleo ſeparari poteſt aqua, ſal ex fecibus relictis extrahi. 4. addunt cæleſtium *ſeminum influxum*, quo impregnantur, qui ſi cum influentiis conueniat, ſemper eſt accidens, nunquam ſubſtantia; quomodo ergo eſt indifferens hic ſpiritus ad accidens & ſubſtātiam, vel quomodo aliquādo ex accidente fiet ſubſtātia? cætera verò principia Chymicorum vt vides ſubſtantiæ puræ putæ ſunt. nec igitur in philoſophia cōmuni, vel Chymica reperies, quod aſſerta tua de hoc ſpiritu defendat, fortaſſis iſte ſpiritus eſt *caput mortuum vel terra damnata & phlegma*, quæ duo corpora reiiciunt à principiis Alchymiſtæ, quod illorum tantùm ſint integumenta. 1. enim eſt cinis elotus nulla vi Hippocraticâ præditus niſi ſiccante & emplaſtica facilè in vitrum conflabilis. 2. inſipidus & inodorus humor accidentaliter aëreus citra vllum medicā ἐνέργειαν tantùm humectans: profectò ſaltem nomen, ſi

non

non res ipſa conuenit huic ſpiritui horum duorum chymicorum retrimentorum.

V. Cuilibet rei peculiare aſtrum præficis & ideo plantas radices lapides metalla ſpiritus aſtra diuina quadam conſortij lege conſpirare N. 21. dicis. vbi dubium eſt, an cuilibet ſpeciei tantum vnum aſtrum attribuas, vt ex his verbis videtur colligi: *cuilibet rerum ſpeciei peculiare aſtrum, &c* an etiam ſingulis indiuiduis ſingula ſidera tribuas, quod ſequentia verba videntur indicare: *vt ita quælibet planta, quodlibet metallum, quilibet precioſus lapillus a certa ſtella, vel aſtro impreſſionem agendiq; potentiam accipiat* Vbi nota 1. nec Medicos nec Philoſophos meliores negare occultas quaſdam Influentias ſideribus. ita Sol Heliotropion & ſcorpiuri flores ad occaſum ab ortu ſecum vertit: Oſtrea conchilia, conchæ omnes cum luna pariter creſcunt, & decreſcunt: item maculæ in dorſo pantheræ, ciuſdemq; numero reſpondent ſoricum fibræ. Formica interlunio ſemper quieſcit, plenilunio etiam noctu facit opus, ſelenites ſingulis diebus lunæ creſcentis decreſcentiſque imaginem exhibet apud Georgium Agricol. libro quinto, de Nat. Foſs. Anno CIↃ. IↃ. XCVIII. Quarto Idus ſextiles Romæ ouum Gallina peperit in eclypſi Solis duobus inæqualibus circulis nigris incinctum tam dextrè ſeſe tegentibus, vt alter

alter solem occultum, alter lunam occulentem referret, qui etiam, sicut eclypsis deficiebat, aspectum suum situmque variabant, dum prorsus vnà cum eclypsi euanescerent. Formica nono die, à Lunæ coitu, quem aduersum sibi nouit, nusquā prorepit: inter humida verò piscibus, aquis, medullis, cerebro animalium Luna creditur dominari: inter radices allio ac cepis tanquam maximè humidis: hinc allium Lunâ sub terris positâ satum, & eadem latente sub terra reuulsum odoris fæditate cariturum: sata semina crescente Luna grandiores & insipidiores plantas progignere; Lunâ verò deficiente minores & acriores. hinc fortè radices & herbæ grossiores raro præstant odore & sapore: quin etiam ex Ozimo geminum miraculum edunt: nam primâ Lunâ tritum & in ollam nouam inditum sub plenilunio 1 ab altero capite flores emittit, 2. demum duplo tempore defossum sub terra strifiones educat seu scorpiones. nouimus etiam medicos obseruare eiusdem decrementa & incrementa in morbis curandis, fabros in lignis cædundis certa tempora; Hortulanos, Agricolas in plantando & serendo. quia cum Luna sit humidorum mater, aiunt, in plenilunio vites aut arbores frugiferas insitas parum frugis parere, quod nimis augeatur humor in illis, quem virtus naturalis digerere nequeat, & propterea humidum temperatum, in fructus conuertendum, cùm sit intemperatum in

ramos

ramos & folia luxuriare; hoc non contingere lunâ nouâ aut ſemiplenâ; itaque tum vites & frugiferas arbores inſerendas; ſalices verò, populos, abietes, in quibus nihil præter frondes & ramos ſperari poteſt, plenilunio: vbi copia humorum frondium multitudinem germinabit. 2. ſcimus Cælum eſſe vniuerſalem Cauſam plures effectus diuerſæ ſpeciei producentem, & fermè ad omnẽ actionem ſublunarem ſaltem indirectè aliquid actione ſuâ conferentem, non tamen immediatè in actiones inferiorum influendo, ſicut prima cauſa conc rrit, ſed tantùm producendo qualitates actioni ſublunarium commodas: item particularem cauſam Mixtorum inanimatorum Auri, Mineralium, Lapidum (ſi non viuant, vt communior eſt philoſophia) cæterorumque effectorum, quæ principaliter producit.

VI. Hæc naturalia ſunt & à recta ratione non aliena, ſed ab his ad ſuperſtitioſa deuenitur, vt à ſole ſpiritum accipere hominem, à Luna corpus, à Marte Sanguinem, à Mercurio Ingenium, à Ioue deſiderium, à Venere Cupiditatem, à Saturno Humorem. quæ non niſi à poetis ortum habent: quem ſpiritum homo à Sole acciperet? animam? quæ tamen eſt immortalis ingenerabilis. ſpiritus vitales, an animales? at hos maximè deſtruit Solis æſtus, vt vides in Marito Iudith. anno biſſextili putat Sauanarola ſterileſcere animalia & mulieres, quæ verò pepererint

cum

cum labore parere: cum tamen hic annus solum ab arbitrio hominum pendeat, & à quolibet initium sumi poterat. Sic ordinem mensium, quibus in vtero fætus est, diuidunt in planetas; primo Saturnus, secundò Iuppiter atque ita gradatim præsit, ac rursum octauo Saturnus: Nono Iuppiter, ideoque octimestrem partum esse periculosum, quod Saturnus ferale sidus frigore debilitet infantem, cum tamen toto orbe tot puerperis è singulis mēsibus quilibet esse possit octauus. vnde cæteri planetæ penitus excluderentur: deinde singulis diebus præficiunt alii planetam, alij etiam singulis horis, quomodo ergo solus Saturnus integro octauo mensi dominari potest, nisi dicant non esse naturalem hanc potestatem Saturni, sed voluntariam, sicut regis belli domique imperantis eodem tempore: sed quis in hoc arbitrium animauit inanimatos siderum globos, qui nihil possunt nisi naturaliter & necessariò agere? Eosdem Imperatores dant humoribus corporis: flauæ bili Martem, Melancholiæ Saturnū, pituitæ Lunam, sanguini Solem & Iouem: sed cur non etiam Venus & Mercurius associantur alicubi, ne repulsam patiantur: vel cur Luna Dominium suum in humore sic distribuit: & Iuppiter inæqualium virium cum sole æqualem sanguinis portionem curabit? cui culpa tribuenda vitiosi sanguinis? vter curabit emissum per phlebotomiam, aut nasi destillationem? vter tradet

suos

ſuos faſces &cui, cum sãguis in pus abierit? Item ſoli ſubeſſe dicitur cor, Marti fel, Ioui Iecur, os, lingua Mercurio, Saturno caput. excluditur hic Luna & Venus, fortè quia fæminæ: at Luna cerebro dominatu , quid ergo cum reliqua calua faciet Saturnus? ex ætatibus verò Infantia Lunæ: pueritia Mercurio, adoleſcentia Veneri, Iuuẽtus ſoli. ætas virilis Marti, Senium Saturno: verum in animalibus quis planetarum præeſt ætati? membra etiam & humores in his ætatibus quomodo retinebũt ſuos præfectos priores? In Metallis aurum ſubdunt ſoli; Lunæ argentum, Marti ferrum & Chalybem. Saturno plumbum, Ioui ſtannum, & Electrum, Mercurio argentum viuum, Veneri æs. Quos merito ridet in Cardanum Scalig. Exer. 106. Qui ſeptem ſolum eſſe Naturalia metalla hac phantaſia demonſtraturum ſe pollicebatur. Quid Mercurio (nam alij huic tribuũt) cum Electro an è *Sole ac Luna compoſitus, quẽadmodũ ex auro & argento electrum.* Si propter Mutationem naturæ, qua tranſit in aliorum, quibus congreditur, poteſtatem, compoſitum, eſſe dicant, dabunt etiam metallum è Sole, & Mercurio conflatum: cum vtrouis enim æque init ille Societatem. dein Veneri potius argentum deſignat tanquam feliciſſimo ſiderum; Lunæ argentum viuum, quod celeritas & multiplex transfiguratio communis vtrique videri poſſit. Ex Raziele orichalcum à Chaldæis ait Ioui attribui. Quis verò

præsidebit æri cyprio, quis æri albo quod Plinius apud eundem cit. loc. ait, in argenti fodinis reperiri? Quis orichalcho in Funduribus fossili, & chalybi tum factitio, tum Naturali, quod in Aquitania locis aliquot effoditur: ergo superstitiosi hi Pharmacarij non conueniunt in suis influxibus cælo depluentibus, per quas sparsiones in hoc mundi theatrum decidant; quid ergo aliis tanquam certa omnia prædicant, quæ ipsi dubitant? nisi ipsi pro arbitrio mutare possint influentias siderum. Rectè ille: *modo inquit aliquid dicant veluti ij, qui rabiem Cerberẽam ad Dryphacta profitentur, nihil pensi habent.* Quamobrem planetas illos suos colonias mittere cogentur, ad metalla nostra hæc omnia frequentanda. Quin nec ipsas stellas fixas lõgè superiores omnib. planetis immunes esse sinũt, easq; in cõgressu cũ planetis illorũ vim & naturã imitari fingũt; & Saturnias esse gelidas ac grãdinosas: Iouiales ventosas, salubres: Martias tonitruosas, impetuosas, procellosas: quæ si cũ Saturno permisceantur, pestilentes suffocantes: solares æstuosas ventosas: venereas humidas frigidas: Mercuriales indifferẽtes: venereis coniunctas venenosas, pestilentes: cum Iouialibus positas tempestuosas; quę si non falsa, incertissima sunt: certior experientia Orionis, Arcturi, coronæ tempestates ciẽtium: capræ, Hædorum ventosarum, Hyadum, pleiadum pluuiosarũ vtriusque caniculæ & anteriorum Leonis partiũ æstuosarũ. *vide Georg. Busti. tract. Astron.* Sed at-

tendite quæſo vnde fluxerit hæc planetarum diuiſio nonne ex inſtituto Gentilium Idololatrarũ, vt hoc ipſo Chriſtianis benè inſtructis rerum diuinarum cognitione dedecori ſint? Inſpicite calendarium Bragenſe nuper editum ſuper hac planetaria ſuperſtitione: nec dubito multos Doctos viros mirari cur Chriſtiani Magiſtratus tam flagitioſa prognoſtica ferant hodiernorum Vranoſcoporũ, quæ nihil aliud moliuntur, quã vt fidem diuinæ prouidentiæ è fidelium animis pellant, ſuperſtitiones doceãt & fidem Chriſti cõtẽptui dẽdãt. Agite vos Chriſtiani Mathematici, quod nuper feliciter cæptũ vidi, Gẽtilitios Ioues & Saturnos cælo deturbate, proſtibula Ethnica perpetua Eclypſi obducite, ſiderumq́ue conſtellationibus, ſicut olim diebus hebdomadariis Eccleſia, Chriſtiana nomina imponite, quid tunc faciet Athea Gens ἀςροφιλοδολόγων?

VII. Nimis ergo tu cælum poſtulas repetũdarum. 1. ſiue ſingulis ſpeciebus ſiue Indiuiduis ſingula aſtra deſignes. vel enim plura ſunt aſtra quam res ſublunares, vel pauciora; ſi primum qua probabis ratione cetera fore otioſa? ſi ſecundum, poſſunt ergo res aliquæ ſine aſtris manu ducentibus agere; cur aliquæ & non omnes? qui poteſt 2. *omnis res* vt dicis. *N.* 3. ſeu indiuiduũ cũ incipit eſſe ſub *determinata cõſtellatione, accipere mirabilẽ quandã virtutẽ operandi, vel patiendi, præter eã,* quã habet à ſpecie? ſed video quò tendas: duplex

temperamentum contra Aristotelem, lib. 1. de Gen. t. 48. & vniuersam philosophiam somnias. 1. ex primis Qualitatibus. 2. confectum ex occultis astrorum viribus cum Cardano text. 11. lib. Ptolom. cui Fernel. lib. 1. de abditis rerum causis. cap. 8. & seq. tertium superingerit. ratio tua est vnica, *id enim ostendunt operationes variæ lapidum & plantarum, nec in specie nec in genere conuenientes, non à materia variè disposita, sed vario influxu, formam diuersam sortitæ*: vbi contra Logicam erras: omnes enim res eiusdem prædicamenti sunt vniuocæ, & Genere & specie possunt conuenire: sed actiones illæ vtique in nullo alio prædicamento ponentur, quàm Actionis: deìn cassa sequela est. cum etiam cælum varias operationes habeat, nec tamen petat duplex hoc temperamentum. Lumen quàm varias operationes exercet, calefacit, penetrat densa vitra, aquã aërem & cælos, per angustum foramen immissum res foris cum pulcherrima topographia depingit in charta, per quamcunque rimulam tralucens circuli formam seruat, etiam per angularia foramina incidens rotundatur propter radiorum ęquidistantiam vel solis orbem, quem refert: ergo multiplex in se temperamentum complectitur? negabitur ab omnibus scientiarum Tironibus consequentia. 3. aliud Temperamentum præter Mixturam primarum quatuor Qualitatum fictitium est contra experientiam & rationem.

nem. 1. quidem, quia deſtructâ temperie primarum Qualitatum omne mixtum corrumpitur, nec vllum hactenus conſeruatum eſt à cæleſti illo temperamento; lapides enim, ligna exurit ignis caloris & ſiccitatis actione: humor item cõfluens alicubi ex aqua putere facit omnia; cur cæligenæ illæ Qualitates non ſuccurrunt tanquam potentiores vt tu ais N. 2. ? nullum igitur temperamentum eſt, quod ſubterfugere, aut vincere poſſit efficaciam primarum Qualitatum; aut exhibe ſis vllam experientiam, & ſimul oſtẽderis temperiem illam Nubigenam. 2. verò; quia non video, cur expectanda illa cæleſtis Qualitas in Germinatione plantæ ex ſemine, cum vtique parens prima planta ſi vllam talem cælo Qualitatem hauſit, potuerit illam in ſuum ſemen transfundere, ſicut primas Qualitates quatuor, & deinde in roſam V. G. recens natam: nec dicas agere nil poſſe cælicam illam Qualitatem; cum inſtar luminis per aeris regionem demiſſa ſimilem produxerit in prima planta; quid nî poſſet in aliam propagare? vt ſaltem rationem reddere nequeas cur in prima Generatione res quælibet mirabilem virtutem operandi accipiat à determinata Conſtellatione.

VIII. Enimuero in prima Generatione ſeu Creatione rerum omnium, quæ Deus ſingulis diebus produxit ſimul nónne determinatam & certam Conſtellationem eandem habuerunt,

nec tamen tum omnia easdem vires operandi acquisiêrunt, non igitur *omnis res cum incipit esse sub determinata constellatione accipit mirabilem quandam vim &c.* 2. Si certa hæc vis ab astris imprimitur rebus sublunaribus, quî fit vt multa apud nos sponte deficiant, aliaque in alia degenerent, cùm tamen *iisdem res conseruentur, quibus producuntur*? nam Theophrasto autore triticum in Lolium transit, ocymum in serpillum, Sisymbrium in mentham odore, figura verò in Calamentum, multaque florum genera, nisi subinde transplantentur, & à sua specie, & ab insita vi ac generositate desciscunt, ita viola altilis spectatissimus flos nisi quotannis situm loci mutare condiscat, in humilem ac degenerem flosculum minusq; odoratum deficit. Siluestria verò incultaq; fruteta in hortos cultos translata lib. 2. Georg.

Exuernit Siluestrem animum, cultuq; frequenti
In quascunq; voces artes, haud tarda sequentur.

In huiusmodi degeneratione rerum, quò deuenit illa vis tua impressa cælitùs? cur spiritus ille vniuersi tuus tam in curiosus est, vt illas implantatas occultas vires permittat à terra sic permutari? sic igitur iudico influentias concedendas esse siderũ, quę tamen se mutuò mirificè tẽperant, vt patet ex congressu planetarum & signorum Zodiaci; (& quod te aduertere velim, nõ probabis facile V. G. in cuiusq; Magnetis Generatione eandẽ esse Cõstellationẽ semper: multo minus credibile est na-

turã ſemper expectare, dum redeat eadẽ cælo facies in excoquendo Magnete, & tamen eandem vim ſaltẽ in eâdẽ regione effoſſi habent) has tamẽ directè non influere in actiones inferiorũ, ſed indirectè ſolùm producendo Qualitates cõmodas vel incommodas ſublunarium actionibus. deinde hoc fortè crederẽ res omnes habere proportionem ad recipiendas influentias cæleſtes, ſed omnes in prima productione recepiſſe , vt tu dicis, quis credet, cũ quotidie ſidera in inferiora hæc agant? conſentit præter citatos ex Theologis Medin. lib. 2. de recta in Deum fide. Alexãder de Angelis lib. 1. plurib. cap Vales. controu. medic. lib. 7. & cõmunis extra Rhodoſtauros, Paracelſiſtas & Medicaſtros aſtroiatras ſeu calendarios. Obiicies medicas obſeruationes apud Hippocrat. lib. de aëre &c. præcipientẽ arcturum ſolſtitia & canem attendere: reſpondet clariſſimus Medicorũ Mindererus Threnod. c. 17. *nõ præcipere quod ſigna ipſa cæleſtia certi quidpiam ſint tunc temporis molitura ſed quod tunc prædicta anni partes, vel in ſummo ſui ſtatu ſubſtituræ, vel vnius decurſu abſoluto, altera prægreſſam ſubſequens ſuam ſit ætatem inchoatura; circa quas conuerſiones anni* veris, æſtatis, Autũni, Hyemis incipiẽtis morbi variantur, vel inchoãt, vel deſinũt iuxta Aphor. *Mutationes tẽporũ pariunt morbos*. cuilibet. n. partiũ anni ꝓpria tẽperies caloris, frigoris, humiditatis, ſiccitatis debetur, à qua ſi receſſerit, varij morbi infeſtãt. hic. 5. Aph. 3. Auſter auditũ hebetat, caliginẽ

obducit oculis, grauis eſt capiti, corpus laxat. Aquilo tuſſes mouet, faucium morbos affert, vrinas difficiles, duras aluos reddit, laterum conſequenter dolores ac pleuritides accerſit. Periculoſiùs permutant ſubinde tempora vices ſuas tepeſcente hyeme, vere ſicco & Aquilonio lib. 3. Aph. abortus, infirmorum fætuum parturitiones, Dyſenteriæ Ophthalmiæ, ſenibus Catarrhi compendium vitæ facturi minantur. Sicca verò & Aquilonia æſtate autumno pluuio iuncta Cephalgiæ, tuſſes, raucedines, grauedines & tabifici morbi timendi. Si ad experientias tuas redeas: in ſirij ortu mare procellis fluctuari, ſub canicula canes in rabiem agi, &c reſpondeo non negari cæleſtes influentias in quædam corpora; tantùm dehortor à ſuperſtitione, quâ paſſim omnium mirabilium effectuum in Natura pro cauſis aſſignantur, quod hactenus non probatum, niſi particularibus experientiis, quibus totidem opponi poſſent, vbi nulla locum habet occulta Qualitas, vt in fulmine, quod ferrum illæſa Vagina redigit in cineres: in tempeſtatibus, quæ ſubinde in Italia colliguntur, & in Germania primum degrandinant, ſicut priori anno menſe decembri accidit. in Echo quæ miracula ſine occultis tuis aſtraliſmis? in Mantuani Principis palatio hortenſi fornix artificioſa confundit colloquium, ne coram confabulātes verbum percipiāt, ſiquis verò colloquentes ad extremos parietes arbitre-

tur ſingula verba diſtincte accipit; & Vicentini illius Nobilis Æolia in prędio ſuo ſub ęſtiuis caloribus ventos moderatur, eoſque emittit in ſolatium conuiuantium vel lene vel vehementer ſpirantes, tanquam cæli copia facta eſſet, vide lib. de delic. Ital. Non igitur ſequitur, vt tu argumentaris, hic eſt occultus, vel mirandus effectus, ergo cælo eſt impreſſa ſingulis rebus arcana vis & duplex temperamētum: at quæ neceſſaria eſt qualitas cæleſtis, vt homo inſaniat, vel canis rabiat: nōnne ſolùm accenſa bilis atra hoc efficere poteſt? Quæ vis cæli concurrit, cum allio perfrictus Magnes illam, quam illi dicis ineſſe non amplius poteſt exercere? Vnde rectè docet Mind cit. loco impreſſionum cæleſtium incommoda prudenti cautela auerti & anteuerti poſſe. quod fieri non poſſet, ſi adeò natales & fatales ſingulis rebus eſſent, vt aſſeris, illæ impreſſiones; immò fruſtra eſſet omnis medicina: quis enim reſiſteret cæleſti virtuti? credibilius igitur omnes res ſublunares vnius generis habere Temperamentum, ſicut habet ipſum cælum, ſeu ſidus producens, vt arbitraris, alterum Temperamentum cæleſte in rebus ſublunaribus.

Hęc verò tua ſunt potiſſima principia nec per ſe nota, nec à priori vel poſteriori demonſtrata; ſed vel nulla, vt probabilius, vel dubia ſaltem, vt alij Doctiſſimi viri Forerus in Viridario philos. de Magnete. Mindererus Threnod. Med. Marin. in

Genes. Robert. & alij quorum scripta nondum sunt edita demonstrant. igitur quomodo tu illa pro principiis scientificis venditas?

§. II.

Quomodo propagetur in distans virtus illa Magnetici Vnguenti.

I X.

IN hac parte manifestè cõtradicis tibimet; nam dicturum te affirmas modum, quo deportetur vis vnguenti à telo delibuto ad vulnus distans: & in fine negas te vulgaturum: verba sunt: *de efficiente quæritur sitne causa huius sanationis in ipso vulnerato an verò telo obligato, & ita quidem, vt ex potentia ab aliquo actu existente prouocetur, & illud prouocans sit ne vis aliqua Naturalis Magnetica, quæ instar Magnetis suum familiare dirigat, moueat, alliciat? id verò ipsum est amice lector, quod hactenus ostensum est, & demonstratum oportuit. Virtus scilicet Magnetica à telo vnguento delibuto propagatur ad vulnus propter Naturæ Cognationem, & Continuationem, quam sequitur successiua impulsio per medium aerem spiritu stellato, & primario quodam ac Magnetico vigore ac potentia impregnatum. In Vnguento est spiritus balsamicus (in sanguine humano Mumia & adi-*

pe humano potissimum latens.) Hic excitatur, seu potiùs euocatur à spiritu consimili sibiq; sympathetico vt spiritu mundi stellato ad effectum singularē producendum. Hic spiritus euocans dirigens, disponensq; corpora ac res mutuo quodam Naturæ nexu sibi deuinctas non est quiuis, sed determinatus is scilicet quo præsente, & tangente fit effectus, absente nō fit, decedente cessat. Hic ergo prima motus causa agnoscendus est. Hic dirigit, deducitq; vim sanatiuā in spiritu balsamico fixam ad vulnus. Sūt enim hi spiritus sympathetici, mutuoq; se appetūt, & propter hunc occultum, naturalē tamen appetitū ad determinatum effectum conspirāt, vt ita in totum & verè dixisse liceat, Magneticam curam vulnerū fieri per meram virtutum transplantationem, quam efficit & perficit appetitus inter spiritum balsamicū & spiritum mundi. iam sequitur contradictio. *sed premo, nec vltra diuulgo hoc arcanum.* cum tamen maximè conari debeas, vt supra fateris ad hoc demonstrandū: hoc enim est punctum conseruādæ famæ, in quo suspectus es commercij cum spiritu, quē nominare vel non audes, vel non potes. cùm igitur ipse videas te vel ignorantiâ, vel malitiâ prępediri ad modum hunc satis explicādum omnem tibi prorsus fidem abnegas, & famam tuam prostituis. Quod si verò patiantur tua verba meliorem interpretem, puto te solum obscurè loqui sicut mos est Aristarchorū philosophiæ, q apud phædrū lib. 4. *vt putētur sapere cœlū vituperāt.* de-

ser-

ſerta verò communi ſcholâ non habent verba, quibus explicent ſua; ſed loquuntur ac ſi in chao vel abyſſo Mundi & tenebrarum diſputarent, cùm tamen iuxta vulgare illud Topicorum deberent *ſapere vt pauci, loqui vt multi*: ſed ad Myſterium tuum, quod in fine libelli ſatis prodis; vbi ſic virtutem vnguenti ad vulnus deportari ſignificas per meram naturam atque *magneticam efficientiam, attractionem, & deductionem, per influentiam* corporum cæleſtium. 1. ergo & radicalis cauſa huius propagationis eſt *virtus quædam occulta* ſimilis illi, quæ reperitur in Magnete, eamque ponis fol. 296 in vnguento & vſnea tanquam actiuam, vt tendat in vulnus tanquam paſſum. 2. *vector ſpiritus*, qui tanquam medium vinculum primò ex definitis & propriis cõſtellationibus ſympathiam & copulam ſeu conuenientiam inducit, ex qua deinceps vis ſanatoria in telum medicatum deriuatur, vnde poſtea egreditur, & ad partem vſque vulneratam continuatur ac traducitur, tandemque actione iſtius virtutis ſpiritualis conſequitur effectus. 3. *phantaſia*, (ſed cuius, tua an alterius?) patientis inquis plurimum hic habet momenti, tum ad balſamicam in ſanguine virtutem à telo medicato attrahendam, dirigendamque ad partem affectam & læſam, tum ad mouendum principium ſanatiuum in corpore exiſtens. 4. *Cælum igitur*, ais, quod pluribus & vni influit, imaginatione, quæ ſem-

ſemper adeſt, & ſympathia, quæ intercipi aliquã-do impediríue, deſtrui non poteſt ad determinatam in corpore partem vim ſanatoriam deducere ſtatuendum eſt. Hæc principia tranſuectionis tuæ reperi percurrendo totũ libellum: quæ quadriga an ſufficiens ſit huic vecturę examinandum eſt.

X. Prima rota eſt virtus Magnetica, quam his duobus argumentis probas. 1. in Magnete eſt reſpectu ferri: ergo in omnibus rebus totius mundi; perinde ac ſi Vulcanus eſt claudus, ergò omnes Dij diceres irato Ioue, ῥίψε ποδὸς τεταγών, &c. deinde quæ cauſa phyſica cur potius vulnus debeat attrahere vim vnguenti, quam vnguentum vulnus, an quia vulnus magis eget: cur non igitur etiam extra telum trahit ad ſe illam vim ſanatiuam, quâ indiget: an vim ſanandi primum acquiſit vnguen ex telo? vel propterea quia illitum eſt ſanguine vulneris illius, vel quia talis eſt naturæ ferreæ vel ligneæ illud telum; ſi primum, non vnguentum, ſed ſanguinem attrahit cognatum, & perinde, ſi multum ſanguinis eſſet in telo deberet attrahere vulnus, vel aliquid ſaltem ex vulnere, ſi ſecundum: cur non ex quolibet alio ferro, vel ligno attrahit aliquid ſanitatis illa plaga? itâque non eſt ratio vtrum habeat vim attractricem. 2. probas: omnis res à cælo & certo aſtro cui ſympathetica eſt, certam virtutem accipit; ergo vulnus & telum hanc habet ſympathiã,

vt

vt alterum alteri ſuccurrat. Sed quæritur. 1. An in. 1. Generatione acquiſierint hanc Sympathiam an in ipſa inflictione vulneris. prius tu ſupra contendis, ſed jam refutatũ Quid enim Sympathiæ poteſt ingenerari ferro cũ vulnere, quod eſt diuiſio continui, cui ferrum eſt hoſtile? potiùs ergo contrahere debet antipathiã, per quam fugiunt res naturales hoſtes ſuos, ſicut humor omnis in rebus accenſis retrocedit, & ſonitus Lyræ ex vulpinis inteſtinis confectæ gallinas fugat, coluber occiſus, ſubq́ue vmbra fraximi collocatus tamdiù agitatur donec recedat ab ea. Poſterius multo minus veriſimile eſt; primò ex tuis principiis quia Imaginationem ait multum momenti habere in hac re; quin ergo potiùs imaginatio hoſtis nolentis curari à ſe vulneratum antipathiam inijcit ferro, quam ſaucius Sympathiam, quia cupit vulnus ſanari? cùm illius imaginatio præuenerit? deinde quod ſidus dices deſtillare vim hanc Magneticam in ipſo conflictu? Solem, vel aliud ſimile, diurnum, ſidus? ergo ſi noctu alteri vulnus infligeretur ſaltem illi ferro talis efficacia non poſſet implantari vt dicis; Quis vèro prudenter credat omnibus demùm puncturis & ictibus Sutorum & Sartorum præſidere ſtellam, quæ expectet, donec ſubulis, vel acubus manus lædant, vt medicam ac cæleſtem energiam de repentè inſtillent ferramentis; ſi

verò neges cælum in tam ridiculis casibus ningere tali ope, quis determinat, vt tum opiferam suam inclinationem sustineat? sin concedis an equus sanari potest cui ilia Calcaribus effossa sunt, si hoc vnguento vngerentur calcaria; Sed quo ictu acceperunt illam vim astralem & Sympatheticam primone, an repetitis sæpius? vtique pluribus ictibus maior Sympathia conciliabitur; ergo vt fieret copiosior curatio, deberent omnia vulnera iteratis ictibus repeti; sed quis hæc sibi persuadeat, nisi qui veritatem, & omnem Sapientiam oderit, denique si ferrum in tali vulnere foret fractum, & altera pars in vulnere relicta, vtra pars haberet Sympatheticam & sonatiuam vim? non illa quæ in vulnere relicta, cum implicet vulnus curari seu coalescere interiecto spiculo: ergo etiamsi adhiberes omne vnguentum tuum non posses ex ferro relicto in plaga curare vulnus; quare? Sanè quia nec ferrum, nec vnguentum solum sufficit, sed extrahendum priùs spiculum manus ope; ergo multo minus poterit vnguentum hoc idem in telo peruncto curare vulnus distans nisi alia ope & manu deportetur vis medica ad vulnus. Sed ex ipsa definitione & Natura Sympathiæ videamus, an hic asseri possit, quam folio 210. dicis esse *mutuam quandam*

con-

consensionem inter res physicas, quâ se amicè amplectuntur: quam meliores Medici & Philosophi docent rebus naturalibus inesse, vel quod in iisdem terræ locis nascantur: sic vitis amplectitur vlmos, hedera muros & arbores, *& Mercurius* apud te *fol. 183.* à *Magnete aliquoties abstractus per distillationem ita imprægnatur virtute Magnetica, vt cum aliàs inuolet aurum, eiq; se applicet, ipsum etiam auri corpus in mensa certo spacio dissitum motu locali cogat ad se transire.* vel quod alimentis iisdem vtantur: sic bitumen ignem sectatur, agnus ouem, ferrum Magnetem, cui⁹ virtus roborari, & ali dicitur ferro. vel quod iisdem cæli signis subiiciantur, vt quidam volunt; ex quo

1. vides per naturam non per artem indi rebus sympathiam, sed per artem adhiberi sympathiam rebus iam insitam; at tu *folio*, 284. *inter virtutem enim & vehiculum primo sympathia est, quæ postea deducitur transitq; in telum, dehinc in vulnus ob familiaritatem & similitudinem*: ergo per artem concedis infundi sympathiam telo, quæ non fuit à natura innata: item vulneri post telum. Vnde autem hoc pronunciatum probas? cur sine omni ratione supponis? dices ferro communicari à Magnete suam vim ad aliud ferrum trahendum. nego paritatem: adhuc enim est actio Naturæ, qua Naturaliter Magnes in ferrum inducit suam virtutem, sicut ignis calorem in aquam, quæ deîn naturaliter calefacit. Sed vnguentum ante non habet

habet Sympathiam cum telo priusquã in pugna vulneret alium, quomodo ergo jam ex sola arte & applicatione acquirit quod ante nõ habuit, & alteri communicat? cum *ars supponat naturam*; quæ tantũ actiua passiuis applicare potest, non autem facere. 2. Cur est ista Sympathia tantùm ad hoc vulnus & non quodlibet aliud; sicut qui horret feles non vnam tantùm, sed omnes auersatur? quis docuit tàm bellè discernere rem inanimem ne in itinere occurrens aliud vulnus sanet, quàm illud cui destinata est illa vis sanatiua; quin etiam quæro, si interim aliud vulnus idem acciperet, quis dirigeret vim illam Magneticam ne erraret, & vel vtrumque vulnus inuolaret, vel non illud, quod ab hoc telo factum? imaginatio sanè nihil faciet, nec enim Magnes quicquid imagineris, abstinet à ferro quocunque obuio.

XI. Iam verò nullum aliud caput tibi patrocinatur, ex quo Sympathiam concedunt Physiologi, nisi dicas eandem constellationem illam cælitùs deijcere: Sed cum hoc vnguentum tam præsens sit remedium, nõ arbitror te tam esse negligentem medicum, qui non semper paratum habeas in omnes euentus: ergo illa constellatio jam præteriit, sub qua factum vnguentum; ferrum autem postea primum infigitur vulneri sub alia, nisi velis imperare omnibus pugnaturis moram, donec eadem redeat constellatio,

ſub qua confectum vnguentum. Sed infra videbimus quomodo probes rebus omnibus ineſſe ſympathiam, *Altera rota eſt vector* ſpiritus, cui tanquam aurigæ & Automedonti tribuis deductionem & applicationem virtutis vnguentariæ cum vulnere, ne detur actio in diſtan: hunc ſpiritum nunquam categoricè nominas quis ſit, et propterea ſuſpectum te Magiæ reddidiſti: ego ſic arbitror, te vel intellexiſſe ſpiritum Chymicum, qui nihil aliud eſt quàm ſubſtantia ſubtilior participans de aqua & de igne, & prout eſt vel aquoſior, vel magis oleaginoſus, aquà vel oleum dicitur: è Mineralibus elicitus plerumq; dicitur oleum; inter animalium ſpiritus ſanguinis humani excellit. Vegetabilium vini; Mineralium vitrioli: vel halitum vaporemque, de quo dicis fol. 295. morbos peſtiferos de homine vno ad alium *tranſportari non abſq; vapore ſeu ſpiritu ſeu humore*: vel lumen: ſic fol. 296. inquis: primum enim mouens in Vnguento eſt vis balſamica in ſanguine & vſnea, quæ mediante ſpirituali vinculo ad vulnus vſque continuatur, & niſi intercapedo ſit nimia (*vbi contradicis fol. 190. licet ſpacium ſit maximum citra vllam tamen alterationem nec ventis diſſipetur, nec aere etiam vaſto humido, vel frigido rapiatur*) fiunt vnum per vtriuſque formæ coniunctionem; coniunguntur inquam, *quia formæ ſeipſas propagant, & promouent, ita vt etiam egre-*

gredientes in media intercapedine mutuo occursu vniantur: simul igitur sunt mouens, & quod mouetur, ita vt vel secundum immediatam superficierum applicationem se contingant, vel vt vnius virtus ad superficiem alterius, atque ita in corpus alterius deducatur: siue id fiat lumine siue radiis, siue Qualitate occultiore, & contactu spirituali, hoc est virtuali, sicut Sol attingit molochi flores, cum eiusdem motum sequuntur. & cum equi halitu homo seruatur à peste apud Cardan. lib. 1. de rerum varietate; huic spiritui duo tribuis officia primum, vt sympathiam inducat ex definitis & propriis constellationibus 2. vim sanatoriam vsque ad partem vulneratam traducat: neutrum præstare potest sub his nomenclaturis latens ille vector spiritus. Quîd enim vapor posset conciliare sympathiæ, cum sit eiusdem substantiæ cum corporibus, quæ si sint asympathetica, & vapor erit: aut vnde indeptus est extra corpus elicitus calore intrinseco, vel extrinseco, quod intra non habuit, quis repente Genius sympatheticus invasit illum? nec lumen sanè in hac transuectione aurigabitur, cum nulla ratio nulla experientia doceat lumen velut veredum publicum transportare per vniuersum aliquid aliud præter suum lumen & calorem eidem anne-

nexum. Dices lumen ſecum vectare colores; nam cum per topiaria tralucet arborum, & in murum vel vultus reflectitur omnia vireſcunt, foliaque & viridaria hortorum veluti depicta per lucem in pauimento reſplendent: reſpondetur non eſſe veros colores, qui circumferuntur, diſtinctos à lumine, ſed vel ipſum lumen tranſiens per medium coloratum à quo veluti tingitur, ſicut ſpecies albi viſi per viride vitrum repræſentant illud eiuſdem rationis cum colore medij per deceptionem ſenſûs ob defectum conditionis alicuius ex parte medij: vel ſpecies reflexas veri coloris cum certa proportione luminis à pariete vel alio corpore minus terſo ad oculum, debiliusque repręſentantes, quam ſi ad ſpeculum reflecterentur, ita vt pro varietate luminis, varietur modus repræſentationis illius coloris, & in aliqua parte nullo modo, in alia debiliter ſolum repræſentetur; vel colorem ſimillimum lumini, quem lux tranſiens per colorata ſtatim producit in illis ſuperficiebus, in quibus incidit in colores veros propagando nõ ampliùs ſolam lucem, ſed etiam colores illos non imitabiles humano artificio propter cognationem luminis; vnde ſolùm etiam apparent in ſuperficie oppoſita luminoſo, pendentque magis ab agente, quàm ſubiecto. Deinde probabilius eſt non per lumen deſcendere cæleſtes influentias, quaſi per ſchalas, ſed aliâ diſtinctâ productione ab illuminatione: licet

enim

enim pleræq; ſtella lumen ſuum vſque ad terras deriuare credantur, & planetarum radij in ſpeculo collecti putrefacere dicantur, vnde naſcantur animalcula, quod ſine calore à lumine producto non poteſt fieri; tamen etiam Influentiæ tanquam diſtinctæ Qualitates per aliam actionem ab illuſtratione ſiderum produci debent. Sed eſto: nihiloſecius, nunquam oſtendes vllâ experientiâ naturali per lumen influentiam ſympatheticam ex ſubiecto cui naturaliter debebatur, in alienum translatam fuiſſe, vt ex Heliotropio in Trifolium aut Ciniras: reſtat occulta Qualitas, quæ nec Axis nec Apſis eſſe poterit huic vectori ſpiritui; licet olim felem, & columbas tabelligeras legamus, quibus curſoris inſtar Martes Ægypti rex vtebatur teſte Rhodigino: hoc tamen omnibus Africæ monſtris monſtroſius eſt, aliquam Qualitatem transferre alienam in alienum ſubiectum per aliquot milliaria diſtans, niſi dicas cum Langio medicar. epiſt. lib. 1. Epiſtola 33. ſingulis ſtellis aſſiſtere Genium nigrum an album, qui dirigat hos influxus Magneticos; cùm tamen communis Theolog. & Philoſoph. ſpiritibus neget vim immutandi naturam niſi per motum Localem & Impulſum; tu verò ſupponis ſine ratione cogi ab illis poſſe influentias vt hinc inde transuehant Sympathiam, perinde ac ſi diceres calorem ab illis adhiberi poſſe ad producendum, vel tranſuehendum frigus. Sed

quomodo transportari possit hæc virtus magne-
tica videamus; vel. 1. Vt accidens migret de
subiecto in subiectum, quod nullà nisi diuinâ po-
tentia possibile; hæc sola potest fortiorem actio-
nem substituere priori conseruatiuæ, quæ ad v-
nionem & formã ex eodem subiecto eductã ter-
minabatur, & variato termino hoc ipso perit,
consequenter & accidentalis forma, nisi poten-
tior actio subueniat, quod à creaturis expectari
non debet, quæ ferè nihil conseruare possunt
directè, quomodo ergo sufficere possunt actio-
ni conseruatiuæ fortiorem? vel. 2. Vt sub-
stantia vna transmigret, sicut cum pueri affrictâ
cretâ subiectum & albedinem pallio circumge-
runt; sed quot pondo vnguenti allinenda forent,
si duobus aut tribus milliaribus distaret vulnus,
quo per totum spatium continuaretur ad pla-
gam? Dices paucis granis thuris ingens templum
impleri. Respondetur non ipsa substantia, sed
speciebus intentionalibus per aërem diffusis o-
dorem toto templo percipi; sicut per easdem
species lumen in tenebris densissimis stantes
percipimus, vbi nullum produci potest à distan-
te luminoso. Ex quibus colligo. 1. nec si Dæ-
monem etiam auxiliarem adhiberes, eo mo-
dò transferri posse hanc vim Magneticam vti tu
imaginaris, cum nequeat accidens sine sub-
iecto traijcere quoquàm, & si substantiam vn-
guenti relinquat integram in telo, non po-

test

test in duobus locis constituere, cum tanquam miraculum soli sit Deo reseruatum, nec potest per medium producere illam sicut sol suas Influentias, vt supra dictum, cùm nequeat immutare naturam tanquam spiritus, nisi applicando actiua passiuîs, quæ hic nulla habere potest vt ostensum. Debet ergo manere domi Sympathetica vis per hunc vectorem 2. contradictionem cum superioribus fol. 178. Vbi spiritum hunc dicis esse accidens vel substantiam cùm fol 296. Verb. Cit. mera accidentia afferas automata huius spiritus.

XII. Tertia rota traductionis est *phantasia patientis*: Quæ forsan ex Auicen Impio quarta: 6. Nat. cap. 6. deprompta ariente: animam humanam forti imaginatione, vel intenso affectu etiam alienum corpus afficere, atque realiter transmutare: Item pluuias, grandines ventos cælum posse deducere aut cohibere, pestes in ducere, & jam grassantes sedare: ista sunt Atheorum diuerticula, ne Deo ter. Opt. Max. gloriam debeant, cùm causas naturales assignare nequeunt impij Phantastæ ad phantasiam recurrunt. Sed & tu, & ille supponis vanam & iniuriam persuasionē, cuiuslibet hominis animam corpore infusā sub felicis astri Dominio, eiusdem sideris & planetæ imaginē fieri, eandemq; vim operādi acquirere, ad materiā transmutandā, for-

masq́ue inducendas, omnesq́ue morbos pellendos, vel accersendos, & denique miracula faciendi. at nónne vides animam humanam tantæ potentiæ esse, vt nec totus mundus illam cogere possit ad id, quod non vult, quis ergo illam subiiceret his astrolabiis inuitam? nónne spiritus est dedignatus hoc ipso actionem omnem corporum in se tanquam longè inferiorum Si phantasia verò talem vim habet cur non febricitantibus imaginationẽ præcipis, vt liberent se à morbo, vel famelicis vt saturentur sine cibo, vel cruciariis ad suspendium eductis ne moriantur imaginatione longioris vitæ: quamdiu nullam afsers huius rei experientiam, non credemus: rationem non reperies, cùm imaginatio sit actio immanens ex sua natura, quæ nequaquam potest aliquîd transeũter operari, sicut nec intellectus aut voluntas vnquam extra facultates suas eruperunt in aliquid extraneum. Dices cum *Fernel. lib. de hom. procreat.* Pauonem albos pullos edere, si ouis incubans pannis albis circumtegatur, ergo imaginatio agit in extrinsecum subiectum. respondetur imaginationem non esse huius effectûs principium immediatum, sed calorem imaginationis motu concitatum in Generantis corpore agere in oua contigua, & vnà transferre Qualitatem aliquam seminalem ad effectus eiusmodi necessariam; posse autem similes exhalationes traiici in aliud corpus
tumet

tumet doces de pestiferis. Quarta rota est cælum, cui Sympathiam addis tanquam ferreos canthos, fortè vt certiùs vehat & sine periculo; sed cùm cælum ipsum debeat moueri, vel à Deo, vel Angelo tanquam inanime vnde scis habere hanc potentiam motricem? vel enim destinatò, vel fortuitò mouet, prius habere nequit nisi à Deo & sua Natura; vtrum verò tibi reuelatum est? posterius fortè impingens posset, vt cùm nos casu lapidem pede protrudimus, sed quis talem errorem cælo impingat? nec etiam, potest mouere per motum suum, qui triplex est apud Cardan. Lib. 2. cap. 11. de rerum varietate: constat inquit *ex his cælestes motus per orbes centrum idem habentes fieri: aut per simplices lineas, vt in sole ac Luna ferme, si motus Sectionum tolleretur: aut per helicas vt sidera omnia diurno in motu: aut per reflexas velut superiores & inferiores errores, dum propriis motibus in longitudinem, latitudinemq; feruntur*: nullus verò ex his eandem viam semper ambulabit cum vnguenti virtute, nec eandem lineam conficiet: contra verò istos motus multo minùs tendere poterit deductio illa. nec enim cùm in dextram aliquid nos mouemus, illud in sinistram mouetur, & saltem polares cæli partes non mouentur, & per consequens non concurrent ad hanc deductionem, ergo nec credibile est cæteras iuuare. Nec video, quomodo recentiorum cæli motu cieatur, qui sin-

gulos planetas seorsum ferri aiunt in cælo sicut aues in aëre. quis enim paranymphus erit huius deductionis ? nec dicere potes vllâ ratione vel experientiâ à cælo produci rursùm aliam Qualitatem occultam, quæ hanc occultam virtutem vnguenti tradux in vulnus deriuet, nisi libeat in infinitum progredi. Et sanè miror, cùm iuxta veram philosophiam neges actionem in distans fol. 184. *vbi contactum, vel materialem requiris, vel spiritualem, &* fol. 292. dicis *non enim potest physicum agens agere in extremum, quin priùs agat in medium, cùm omnis actio physica fiat per contactum:* quomodo persuadere tibi potueris actionem transeuntem ad aliquot milliaria ? & suspectiora reddis omnia cùm neges ad quamlibet distantiam exerceri posse *fol. 296. nisi intercapedo sit nimia* : quid enim, si à cælo ad terras vsque potuit pertingere vis illa cælestis, non etiam possit in terra ex Europa in Indiam sese porrigere ? & si potest ad aliquot milliaria se extendere, quid impedit ne porrò pergat nisi limitata sphæra actiuitatis, quam sanè omnis experientia negat, tantam esse, quantam hic concedis. vides igitur hanc quadrigam rotis fractis euerti, nec quicquam naturale fingi posse, quod sit causa huius transportationis. at nihil asseri debet à prudente sine ratione vel experien-

periĕntiâ, quæ factum oſtendat, licet ratio lateat. Inculcas tu equidem factum & Experientiam, citas Imperatores ſine nomine. fortè Iulianum Apoſtatam, & Caligulam, aliaque naturæ portenta; Reges, Principes, Comites, Barones, Nobiles; cur non nominas? an te pudet tantorum virorum teſtium? Sed demus experientiam tuam tibi conſtare: quid dices ſagis, quæ ſuas furcillationes etiam vnguento adhibito aſcribunt, ſi dicant naturaliter fieri? quomodo conuinces vllum magum ſuas Acheruſias technas, & præſtigias Diabolicas Naturalium cauſarum prætextu palliantem? ſanè quæ cauſis fiunt naturalibus, tametſi miracula videantur, ſaltem non omnibus repugnant principiis Naturæ, quibus reclament omnes, vt tu experiris cum hac traductione, contra quam tot viri docti ſupra citati iam ſcripſerunt. nam Artemiſius Mathematicus mirâ arte olim, ſed non ſuſpectâ, ante puluerem pyrium inuentum Zenonis Rhetoris hoſtis ſui domum apud Agath. lib. 5. Gotticar. terræ motu concuſſit, plures lebetes grandes coriaceis fiſtulis in inferiori ædium parte incingens tam latis, vt totum liberum circulum coplecterentur, deinde in tubæ ſpeciem erigens in altum, illarumq; extremis ad tigna, tabulaſque defixis, vt conceptus iis aër liberè per eam vacuitatem euaderet, ſolariūq;
per

pertingeret nudum, & omni præcluſo exitu intra fiſtulas ebulliret; lebetibus ſic diſpoſitis validum ignem ſubiecit, vt aqua exæſtuante vapor emoliretur per fiſtulas, & exitu non reperto in ſe reciprocus maiori violentiâ ex anguſtiis eluctaretur Sursùm, quâ reciprocatione ſæpiùs iteratâ tota domus concuſſa eſt, & ſenſim tremere, & ligna ſtridere cæperunt adeò, vt Zeno cùm aliis diuinam opem apprecatus fugerit.

§. III.

De Natura per Sympathias & Antipathias rerum occultè Agente.

XI.

FVndamentum tuæ Curationis in diſtans eſt Sympathia, quam aſſeris inter telum vnctum, & vulnus. Sed ita explicas, vt nemo crediturus ſit, qui ſolùm leget. 1. totum vniuerſum facis animal, partes vniuerſi membra illius, quæ pendeant ab vno principio *& ſicut in animali, ſcerebrum, Cor, pulmones, iecur, & reliqua à ſe trahunt inuicem aliquid, mutuoque ſe iuuant, vt vno illorum aliquid patiente compatiantur; ita omnia mundi corpora connexa ſimiliter mutuare inuicem naturas, & mutuari, & ex communi hac cognatione communem naſci a-*

morem

morem & ex amore communem attractionem. Igitur omnes res inter se tantùm Sympathiam habent sicut membra ; cur ergo quædam habent Antipathiam? sed ne quis solum metaphoricum animal accipiat, ait fol. 189. *Quæcunq; in cælo cõplicata & explicata cernuntur in cæteris quoq; sublunaribus potestate vitali contineri,* & fol. 181. cùm suæ Philosophiæ principia Aristotelis opponit, addit: *hic Plato loquitur,* quem Boeth. Lib. *3.* de consolat. Philo. metr. *9.* docet sensisse Deum per animam mundi motus corporum cælestium administrare teste *Alber. Magno. 2. p. sum. tract. 11. q. 63. memb. 2.* quæ ipsissima tua mens *fol. 288.* his verbis. *Deus enim nunc pauca admodùm sine cælorum naturæ, seminisq; interuentu ingenerat, immò conditis naturæ legibus omnia per cælũ administrat: quæ enim Deus olim propriis operibus inchoauit, & perfecit, ea tãquã feriatus cælo velut administro & Synergo continuanda credidit:* hoc autem à cælo inanimo præstari non potest : maximè cũ *fol. 290.* dicas cæli formã innumeris grauidatã formis omnia gignere, & ex se fundere. tũ animantes, tũ stirpes, lapides, metalla omnia quæcunq; fuerunt, & esse possunt. *Nec semẽ sine cælo generare quicquã, sed gignendis, rebus materiã duntaxàt conuenienter apparare & instruere, cælũ verò in apparatã illam materiam speciẽ summamq; perfectionem immittere, vitamq; suscitare in õnibus lucido spiritu intercedẽte hic enim mũdi*

& cælo

& cælorum existit vector, in totam vniuersitatem diffusus rebus singulis simul speciem, & natiuum, vitalemq́ calorem impertit, calore, vitaq́ fouet. & fol. 291. *vitalem quidem animam secum affert & Naturam ipsam, ac quæcunq́ subierit vitalia facit (spiritus)* & paulò post intermediæ inter cælum & sublunaria substantiæ, *omnes mundi partes coherent, nihilq́ in* viuente mundo *tam abiectum, cui non infusus ille spiritus diuinorum cælestiumq́ operum aliquid elargiatur è cælo & sideribus vires, vitaq́ seminaria inuehens &c.* & fol. 178. disertè nominat animam mundi communissimam, secretissimam, mysticam. Iam vero credo tuam transuectionem vnguenti processuram, si tantum animal iungas currui, quantus est totus Mundus: vide tandem quo pabulo velis alere; an humoribus oceani in altum subductis vt veteres dixêre? at nónne hoc est solide delirare, si putes te philosophis persuadere posse totũ mundum esse vnum animal? non enim Mundus totum est continuatione, sed aggregatione: sed nulla forma potest constituere composita discontinua; nisi cum damnatis pridem Arabibus velis dicere etiam omnes homines habere vnicam animam, deîn vel componit illa forma res naturales omnes vel non: si. 1. quomodo lapis est vnum ens per se vel cuius speciei? cum sua, & illa forma mundi informetur. Si 2. falsum est, omnia

nia viuere hâc animâ mundi. nam vita maxime conſiſtit in operationibus vitalibus; ergo ſicut actiones vitales bouis non ſunt actiones Elephantis, ita nec actiones noſtræ vitales & ſingulorum corporum naturalium poſſunt eſſe ab extrinſeca forma. itaque ex hoc puncto ſic argumentaris: in Quolibet animali eſt ſympathia inter membra, ſed mundus eſt animal, partes vniuerſi membra: negatur minor, non concedenda niſi lapides, trunci & fungi ambulare incipiant. 2. Mutat ima ſummis: *Quamobrem inquit in terra aſpicere licet quidē Solem, Lunam, & reliqua: ſed pro Qualitate terrena: in cælo autem lapides & plantas & animalia: ſed pro natura & modo cæleſti.* igitur quod Plautinus ille Soſia pro ἀδυνάτῳ habet, apud te omnia congeminârunt, & ſiquis in terris caprimulgus vaccam mulgeret, etiam in cælo reſponderet illi mulctrum &c. vt taceam illa, ex quibus non tantum videri: ſed etiam olere poſſet tua abſurditas, ſi omnia velis repræſentari in cælo, quæ geruntur in terris. Deinde impoſſibilis eſt hypotheſis tua cum enim ſolis magnitudo multis paraſangis terram excedat, ita vt etiam ſemper plus illuminet, quam mediam terræ partem, *iuxta prop. 24. lib. 1 opticæ Rami*, quis locus reſtabit lunæ in terra. Quis cæteris ſideribus & ipſis cælis, ſi omnia ſint in terra effigiata. demũm ordo eſt inter cæleſtia corpora, vnũ altero ſuperius: quod ergo alterò prius adumbratum, in ter-

ræ

ra? Et quomodo vnum ſupra aliud in terræ viſcera deſcendit, vt ſe non obruant? quorſum meridiemne verſus occidunt, & oriuntur hæc terrena ſidera? vides ergo tricas & tramas?

XIII. Quemadmodum vero Funambuli alligant turribus reſtes, ita comminiſceris tu denique connexionem quintuplicem ex neſcio cuius Anaximandri Chao, vt vim tuam Vnguentariam facias ambulantem per aëra citans Moſen. 1. dicis ſignificari per terram inanem. 2. per tenebras ſuper faciem Abyſſi. 3. per lucem corporibus obortam. 4. per cælum & terram. 5. per ſpiritum Domini. ex his infers, ergo eſt affinitas inter res creatas naturalis beneuolentiæ nexus ac copula. Potius ſequitur ex primo & ſecundo nullam eſſe , ſicut inter cæcitatem & viſum nulla connexio Sympathetica. ex tertio lux orta eſt corporibus, ergo eſt talis connexio ; ſequitur ſanè, quod Germani dicunt Darnach iſt eſt tag worden. ex quarto & quinto video negari Deum, cum dicis illum ſpiritum eſſe intellectum quod eſt Atheum, nec vlteriori refutatione dignũ: Ex quibus omnibus tam parùm ſequitur tradux hæc tua connexio rerum Naturalium, quàm ex bello Troiano Peloponeſiacum: ad confirmandam hanc connexionem Magneticam videris addere animam & corpus, inter quas tanquam ſubſtantias longe diſtantes opus ſit medio vinculo, quod ais eſſe tenue illud & ſpiritate corpuſculum (quæ eſt

est implicantia in terminis) *hunc vero spiritum copulantem diuiniorem esse quam Elementa, cæloq; respondere proportione Aristoteles scribit*, vbi? cur non addis textum vel librum? *Et quemadmodum omnis cælorum virtus vehiculo lucis transfertur ad terram, ita omnis animi potestas vita scilicet, motus, sensus, lucido spiritu intercedente ad corpus terrenum commeat & transfunditur*. Ergo est talis Sympathia inter telum & vulnus? nego consequentiam. Vnde tu illam probas? ex his fundamentis? profecto quicunque prudens inspexerit potius iudicabit ad agnatos te mittendum, vt de Hellebero tibi prospiciant. Præter quam quod hæc non sit vera ratio sympathiæ vel Antipathiæ; nec ab vllo classico autore relata. Tres aliæ sunt hactenus celebres sententiæ, 1. Referens omnia in occultas qualitates, quam tu libenter sequereris, si spiritus tuus permitteret: huic opinioni voluntas & Intellectus obstant amicè consentientes, nec tamen capaces huiusmodi qualitatis 2. tribuit omnes effectus Sympatheticos primis qualitatibus, ex quarũ varia miscella nascantur tẽperamẽta vel amica, vel inimica inter se. 3. concedit aliquos effectus fieri à talib Influentijs, sed non omnes. Itaq; subinde iuxta hanc veriorem est actio vnius in alterum, subinde non: vt cum locomotiua ad Imperium voluntatis mouet cæteras potentias. Igitur formaliter Sympathia & Antipathia in quadam

Connexione& Coordinatione consistit vnius ad alterum fundata in appetitu Innato & Inclinatione cuiuslibet rei in suum *bonum*: siue. Sit potentia *paßiua* ; quæ est Naturalis Capacitas suæ perfectionis, siue actus ; siue *actiua* quæ est Naturalis facultas agendi, nihilque addunt Naturæ rerum nisi Connotatiorem dispositionum ac certarum conditionum. Semper tamen debet esse virtualis coniunctio inter Agens & passum Sympatheticum etiamsi nulla actio inter illa intercedat, vt est phantasiæ & Locomotiuæ in animalibus coniunctæ in vno supposito & anima. Vnde falsum est effectus Sympatheticos in quamlibet distantiam fieri posse vt mortuo vel periclitante parente domi Filium apud exteras nationes languere; item canes Domino longissimè distante mortuo; quæ sunt superstitiosæ & aniles persuasiones, sicut cum ex tinnitu aurium iudicare volunt an absens quispiam de se bene vel male loquatur. Quæ stultitia hominum?

XV. Post hanc ex Abysso mundi deductam rationem Sympathiæ refers exempla quædam fortè credibilia, quædam superstitiosa : vt in Austria Gemellos solis obiectis ad januam corporis lateribus seras aperuisse. Quid si seræ fuissent ligneæ? vel striis ferreis insertæ, quæ non extrahi sed paulatim debent euolui, cuiusmodi

Weche-


Wacherus vester describit ? Dæmones autem solares esse visos leoninâ fronte, qui obiecto gallo repente disparuerint, sicut alij veri leones ad conspectum galli fugiunt; magnam familiaritatem cum Dæmonibus arguit: sed qui sunt isti solares Dæmones ? an ex Gentilismo semideos reducere cogitas, aut cum Apuleio Deum Socratis? an cum eodem in Asclepio Dæmonum Genealogiam instituis ? *Quicunq. igitur Dæmonum* inquit ille *à genere suo defluentes in speciem fortuitò coniuncti sunt, alicuius speciei generis diuini proximitate, & consortio Diis similes habentur. Quorum verò Dæmonum species qualitate sui generis perseuerant, hi amantes hominum rationem Dæmones nuncupantur.* Ita tu aliquos putas etiam planetarios esse Dæmones ? Quasi vero nescias, nisi atheus sis, illos super omnia sidera creatos, vbi nihil horoscopo in illorum natales licuit: deturbati vero cælitum regiâ naturam non amiserunt, sed gratiam: vnde tempestates ciere, nubes comportare, integros hortos cum fundo telluris transportare norunt: quæ potentia longè superat stellarum destilla, cur ergo his subijcerentur ? *non est super terram potestas quæ comparetur diabolo, qui factus est vt nullum timeret Iob.* 41. *v.* 24. Quare, cum eandem vim tribuas herbæ Moly in damnatos spiritus exemplo Circes cele-

bratissimæ veneficæ, sane video quibus princi-
pijs extruas Sympathiam hanc tuam & Antipa-
thiam; quod vero citas exemplum Tobiæ, re-
spondeo si te Angeli sancti iuuerint, tum me eti-
am fidem habiturum tuis experimentis periap-
tis & amuletis. Materiale vero agens nihil potest
in spiritum: sed audi Lyranum in cit. cap. Tob.
*si iuxta doctrinam Platonicorum Dæmones essent
animalia corpore aerea, animo passiua, mente ra-
tionalia, tempore æterna, vt dixit Appuleius, mi-
rum non esset si corporalia illis imprimerentur;*
(quam exoletam impietatem fortasse tu suppo-
nis) *sed quia sunt immateriales, separatæ sub-
stantiæ, materialia in eos non imprimunt.* Itaque
fumus fuit tantum signum temporis, quo dęmon
expelleretur & efficaciæ precum ascendentium
coram altissimo: Quod si verò videas alios cum
*Guilielmo. Parisien. lib. de vniuerso & Vales. Sa-
cræ Phil. cap. 28* concedere fumo huic efficaci-
am quandam aduersus Dæmonem quodãtenus
naturalem *teste Sal. anno Mundi.* 3335. ab ipso
autore Naturæ à principio creationis cordi &
iecori impressam: *Serari.* tamen *in Tob.* simul
tria cõcurisse, vult quæ supernaturalem vim con-
ciliarent, remotionem causæ, ardorẽ scilicet libi-
dinis, quo septem illi Hirquitalli flagrauerant,
preces coniugum & parentum, & significatio-
nis Mysterium: nihil te iuuat: licet enim proba-
bile sit, superbos illos nequam spiritus à Deo
subdi-

ſubditos rebus quibuſdam corporeis cruciantibus, vt docent *cit. DD.* nondum tamen tibi reuelatum credo ſicut Tob. quæ ſint illa antidæmonica alexiteria: referunt quidem 1. *Fumum* arboris cuiuſdam aduſtæ apud *Carthus. in cit. loc.* 2. *ſuffitum* cornu caprini. 3. *cuiuſuis ſtercoris* præcipue humani. 4. *Rutam* Hypericonem, quam ob id fugam Dæmonum appellant, inquit Vales. citat. loc. Sed vnde hæc innotuêre? Quare prudenter ſubijcit, cum Dæmones ſint penitus incorporei nullam à corporibus naturaliter paſſionem poſſunt accipere: ſed neque ſi corporei eſſent (niſi etiam eſſent corruptibiles) voluptate aut dolore affici poſſent: quia neutrum horum eſſe poteſt ſine ſenſu, neque ſenſus eſſe poteſt, niſi cum organis habentibus communem naturam cum ipſis ſenſibilibus. Quapropter corruptibilium rerum ſenſitiua corruptibilia eſſe, corpora neceſſe eſt. Niſi igitur Dæmones corporei & corruptibiles ſint (quales certe non ſunt) neque voluptate, neque dolore affici poſſunt naturaliter ab vlla Qualitate naturali. Credibilius igitur nullam omnino cauſam Materialem in ſpiritum agere poſſe phyſicâ Qualitate & Materiali: ſed ſi à Deo ſint ſuperbi ſpiritus illi ſubiecti tam vilibus creaturis, moralis tantum erit Antipathia; ſicut ſuperbus rex etiam aureo carcere, vel magnifico palatio clauſus magis dolet, quam terræ filius

lius aliquis hypogæo antro fætidissimo. Sanè certius est omnium confessione, & experientia res materiales nihil penitus habere virium in res spirituales, quam contrà: cur ergo tam audacter rerum naturas euertere contendis? eiusdem vanitatis est, quod addis de Alysso Hypericone herbis tanquam forent antipatheticæ malignis spiritibus, suspensæque in ædibus ab hominibus, pecore, veneficia ac fascinum arcerent: hæc enim cum ex arbitrio Dæmonum & flagitiosorum pendeant hominum, quomodo tu caulibus hortensibus abiges, nisi forsan aliquid moliantur per applicationem actiuorum ad passiua physica; quod rarò tentant; sed vel vinculis occultis, vel in corpus insertis vitri ferrique fragmentis, vt ex historiis constat, ope Dæmonis enecant. Igitur solis oleribus non auerruncabis. Quod de Remora pisciculo prædicas adeò certum non est: cum enim ab omni æuo vix semel ac iterum referatur accidisse. Quid si casu ex alia causa steterint nauigia? ecquid post tot centurias annorum tam frequenti nauigatione nihil huiusmodi auditum? certè non est mortua species. Sed tu nimium credulus es Plinio, Dioscoridi, Dalechampio, qui talia narrant, quorum ne vmbram deprehenderes adhibitâ experientiâ. vt Symphyum maius cum animalis hepate coniectum in ollam, illud in inte-

integrum restituere conscissum etiam in mille partes; adamantem super incudem nullis malleorum ictibus frangi. tenta & videbis fabulas similes amandino lapidi apud Albertum. 2. Mineral. quem aiunt gestanti conferre prophetiam & interpretationem ænigmatum; Quiritiam verò secerta prodere, selenitem Diuinationi seruire, sub prima luna Iaspidem sacrificia Dijs accepta reddere; Achatem animos coniugum conciliare. Quod ad negationem Dei & SS. Angelorum tendit, si possunt lapides è cælis haurire tanta dona; & manifesta sunt Atheismi fundamenta, non Sympathiæ argumenta. Si verò tantopere laborabas reperienda Sympathia, apud Chymicos in geniosiorem reperio modum indagandę Sympathię, qui varijs fornaculis ex qualibet re *Aquam, Essentiam, Sal & Deum* extrahunt, singulaque explorant, quam virtutem habeant & cum singulos alterias rei partibus accuratè conferunt; quam & tu potuisses credibilias adhibere, quum illum phantasticum ex Abysso Mundi Sympathismum.



§. IV.

De plantarum Quarundam, & Animalium viribus occultis.

X VI.

NVllus dubito, quin Deus plurimas virtutes lapidibus, plantis, animalibus indiderit, vt Medicorum quotidiana experientia teſtatur, hæc in Aquam, Cinerem, & alia, per ignem reſoluta infirmis ſuggerentium, pluresque lateant. Prudentis tamen Phyſiologi & Medici eſt non omnes credere, niſi explorauerit. Quare quæ mihi ex tuis videbuntur ſuperſtitioſa, examinabo; in experimentis inquis eſſe, *hirundinis cor palpitans deuoratum memoriam deperditam reſtituere, adque ingenium valere & Intelligentiam*: nempe Anthropophagiam docere vis, & homines crudiuoros eſſe cupis, crudelior ipſis ſagis, quæ cum Dæmone ſaltem coctos infantes liguriunt. 2. Si coctum eſſet illud cor, vel aſſum vbi omnes ſpiritus intus conſtringuuntur nónne perinde foret auxiliare memoriæ? 3. cur ipſe non adhibes ad tuam Intelligentiam reficiendam, ne tantis deliriis inincipiat morari? II. *viuentem Araneam iuglandis teſtis incluſam colloq́, ſubnexam pellere Quartanam.* quoties probaſti hoc deleterium?

rectè

rectè includis durissimis putaminibus, fraus tegi debet: sed quid si Germanicæ iuglandis testa, vel Italicæ, quæ densiores sunt, clauderetur aut maiori nuce, vel nucleo Persico, aut cupreo vel alio globulo cauo, perindéne foret? Apinæ, Affaniæ. III. *ranarum oculos ante solis ortum erutos, viuis illis in aquam dimissis alligatos, sicut & vnguium præsegmina in pedibus & manibus febricitantis cancri viui dorso superligata cumq́; eo in aquam fluentem proiecta tertianas febres.* 1. cur ante solis ortum? ne fortè videant excæcatas esse se. 2. cur illis alligari debent oculi? vt ferant aliquid ad suos tanquam legati ex Batrachomyomachia? si debet illa alligatio conferre quid ad curationem nugaris: nam statim in angustiis abstergent: igitur debebis illis omnino assuere, vel poterunt sine tali alligatione abiici in torrentem. Sed cur vnguium præsegmina debent clitellarios facere cancros? an febris extracta est ex visceribus in vngues, vt ita cancris alligata deportetur in scrobes palustres, & submergatur? sin: quomodo vel præsegmina, vel cancri ex hac colligatione acquirunt vim depellendæ febris, vel agendi in hominem ægrotantem, si non habuerunt ante? item quomodo ex palude domum venit actio salutifera? vel cur non etiam capilli resecti, & dossuariis cancris illigati vim medicam acquirunt? IV. *Cor corui gestatum ad inhibendum somnum, cor vespertilionis ad*

vespertilionis ad eundem valere accersendum: nempe quia corui patibulariis cruciariis effodiunt oculos, ne possint ampliùs nictari. deinde debétne gestari supra, vel infra vestem? V. *ossa capitis equæ fugare erucas palo in hortis affixa*. oportet hic ruricolas consulere, quorum reditus annui sunt olera pauca, & cepæ ferè singulis annis deuorata ab erucis, licet omnes sepes pendeant plenæ caluariis equinis. tui similis forsan eosdem rusticos dementauit, vt certo anni die circundent arboribus straminea ligamina: quæ anilia deliramenta à cacodæmone suggesta sunt in dedecus Christianæ religionis & ludibrium Philosophiæ. VI. *Graminis Genus. 7. habens internodia efficacissimè contra capitis dolores adalligari*. quasi verò nodi tantum habeant virium in caput: an ob figuræ analogiam, quam de tuo capite non concedes? an ob Germanicam syncopen Hilfft der Knopf dem Kopf? quid si forent octo internodia nónne magis iuuarent? VII. *Florente cicutâ, & violis, si qui morbi homini acciderint, quoties florere eas herbas contigerit, licet sanatum, recidiuam tamen quandam eorum sentire compertum*. 1. si non eodem tempore floreant singulis annis vtraque, sicut frigus facilè potest impedire, quocum flore recidet? 2. non omnes volæ, nec omnes cicutæ simul florent: anne igitur cum primis, an cum secundis relabetur in morbum? quis determinat?

minat? quid fiet in regionibus biferis, cur ibi bis eodem anno deberet redi e, morbus? & cur non etiam in nostris regionibus idem euenire, quia dicis absolutè *florente* &c. demùm si quis circa natalitia stirpem violarum in hypocaustum inferret, poneretque in aqua, vt floreret, sicut arbusta etiam tum in aquam mersa calore hypocausti reflorescunt? VIII. *Adamantide herbâ Armeniæ & Capadociæ alumnâ admotâ Leones resupinari cum laxo hiatu.* de distantibus loqueris: sed applicandáne in tergore, an ventre, in antilena an postilena? nam satis incredibile regem ferarum tam leuis herbæ contactu adeò prosterni; plura de herbis alia corpora locomouentibus suspecta sunt, donec experientia stabiliat, nam quî septem herbulæ certæ gramina iacta in Symposio conuiuas omnes ad rixas Lapitharum prouocare possint? reperit tamē hoc nugumentum autorem teste Delrio lib. 1. Disq. Mag. c. 3. item Achemenide coniectâ in aciem hostium trepidare agmina, ac terga vertere, tu asseris. Quid ergo curulia tormenta tanto sumptu circumuehuntur & hæc herba negligitur, facilè parabilis? Æthiopide herbâ certo ritu incantatâ seras omnes, si admoueatur aperiri, & suo tempore Venetiis furem suspendio damnatum, cui sic fores omnes patefiebant, scribit *Mathiol. Nuncupatoria in Dioscoridem.* vide ne similem

ſimilem Circeam efficaciam habeant herbæ tuæ. IX. *Latacen à Perſarum rege dari ſolitam Legatis, vt quocunque veniſſent, omnium rerum copiâ abundarent.* Quin igitur orbi vniuerſo ſuccurris inopiam his temporibus magnam patienti? Sed quid ſi in diſerta Idumes veniſſent legati illi, num in arenaria illa ſterilitate affluxiſſent? Hæc pauca ex infinitis attuli: vt viderent omnes te ſuperſtitionibus addictiſſimum eſſe, omniaque credere ſine delectu. Scire tamen debes pleraque Plinio deſcripta à veteribus, ex quo recentiores deſumpſerunt plena gentiliſmo, & Idololatria. Dæmon enim cum videret ſe vt Deum adorari, facilè perſuaſit antiquis, ſi hunc aut illum lapidem adhiberent, ſi hoc aut illud ſub tali conſtellatione, planetarumque aſpectu facerent, bene ac proſperè ſucceſſurum, quod optarent: at nos Chriſtiani hæccine omnia credemus? Sic hodierno die multorum veneficorum confeſſione, iubet mancipatos ſibi, aut deuotos, circa feſtum S. Ioannis Baptiſtæ colligere Fahren Samen/ (fortaſſe eſt radix illa Baaras apud Ioſeph. lib. 7. Bell. c. 23. vel Baar apud Zonaram, quæ naſcitur propè Macheruntem Iudææ veſperi tãquam iubare reſplendens, captu difficillima, quia fugit celeriter inſequentes, non priùs conſiſtens quàm menſtruo perfundatur,) vt habeat occaſionem noctu illos colloquendi, & in nexum Acheruntis dandi. His acceſſit fama

men-

mendax, vt ex bellorum nouis quotidie discimus, si quam plantam Apollo, vel Æsculapius iuniorque aliquis notârit vulnusculi coagmentatiuam vt prunellam, Bugulam, aliasque consolidas, mox apud Botanicos adeò efficax est proclamata, vt carnem in minutas redactam partes in solidum redintegrârit: si quis fortè stellarem lapidem in aceto mobilem aduerterit, quod experientia infelix nondum confirmauit, quâ verò vi pollebat lapis ille? quid non potuit? Quare te, cæterosque Astrologomagos obseruare velim illud *Alex. de Angelis lib.* 1. *cap.* 6. Primùm quæ nondum definitè distinctèque nôris de stellarum viribus, pro certis & definitis non vendita. Deinde exploratam iam, & perspectam cæli actionem non extendas ad plura, quàm eius natura, vel experimentum patiatur, qui est tuæ sectæ familiaris error. Denique vires quas colligis ex eo, quòd luna in fretis, in conchyliis in arboribus, cælis, in herbis, in hominibus morbo affectis, facere solet, non tribuas solis natalitiis astris, sed fate-aris omnia astra in hæc inferiora agere non minùs, quàm quæ ortui, aut conceptui præesse dicuntur. Ex his enim monitis neglectis vides non nisi decumanos errores nasci.



§. V.

Curationis Characteristicæ, & sigillorum naturalium Examinatio.

XVII.

VIderis subinde Cocleni habere lucida interualla; nam præter opinionem aliquando verum dicis: in synarthrosi tua folio vigesimo secundo,. & vigesimoquarto, ais *te ista experimenta de imaginibus non eo animo attulisse:* quod ita sentias, sed vt ab iis absterreantur homines proposita earumdem vanitate. & hic folio ducentesimo trigesimo secundo, tuæ Apologiæ post multa falemata: *tantum vero abest*, inquis, *vt hisce imaginibus per se virium quid tribuam, characteresq́ue seu nomina constellata virtutem habere ratione figuræ affirmem (cùm figura, Numerus, Magnitudo, situs, continuique solutio nullius sint actionis principia) vt nisi aliud* con-

sit agens, mouensque, *cuius potestate characteres sint efficaces*, *planè negem*. vide quàm tibi consentias. suprà dicis omnino vanas esse has imagines: hic adiungis illis aliam virtutem, quâ validæ fiant: audiamus tamen fundamenta, quibus probas. 1. omnes herbas, flores, arbores, aliáque ex terra nascentia signa esse magica à Deo concessa, per quorum cognitionem ad veram medicinam, seu signatum veniamus; quòd signa, quæ natura externè prodit, intrinsecæ ac latentis virtutis indicia sint, semperque signatum, internusque nucleus per externam Physiognomiam designetur: hoc est extrinseca figura significetur proprietas latens in qualibet re naturali, quæ adiunctam habet influentiam Astronomicam, per quam plantis quibusdam subiectis imprimatur signatura, quod ais in *Hypericone* perforato exilibus foraminibus conspicuum esse: in *Persicaria* foliis maculâ rubentibus tanquam sanguineis guttis perspersis. folio tamen ducentesimo octuagesimosexto, contradicis: *si quis quærat de alba rosæ colore, unde scilicet ducat originem, causamq́ velit frigidiori temperamento ascribere, quid quæso dicet de rubra? Intybi species lacteumne iccirco succum fundere dices, quod sint frigidæ? at complures calidißima, vt sunt tithymali, qui eo-*

dem

dem turgent ac madent ſucco, & Aloe ideone amara eſt, quia calida? atqui in opio, quod pernicioſo frigore necat, amaritudo eſt eximia. Igitur iuxta hæc tua effata non licet ex forma exteriori colligere rerum naturas, quod ſuperiùs affirmas. nam pergis: *Et licet ex totius ſubſtantiæ proprietate talia promanare concedatur, ſublimior tamen & præſtantior opifex, inſculptor & formator ſupra illam in noſtro myſterio collocandus & quærendus.* Nota. 1. Contra Phytoptas hoc tuum eſſe principium, qui potiùs aiunt à plantarum externa ſpecie repræſentati partem aliquam animalis, cui vel proſunt vel obſunt, vel efficaciâ aliquo modo ſimiles ſint. Hinc carnoſas vt *Braſſicam*, & *Rapas*, carnoſos homines reddere: oſſoſas, ſeu lignoſas oſſibus mederi vt *Coriandrum*, *Anethum*. Capillares & Villoſas Capillorum vitiis eſſe medicamento: ſic *Adiantum* capillos denigrare, *Capillum Veneris* ad capillorum defluuium facere. Ita Forer. in viridar. De plant. cap 30. Nota. 2. delirum eſſe colligere ex punctùris maculiſúe plantarum influxus cæli, quaſi per illa foramina tanquam ianuam ingreſſi forent, eamque poſt ſe non recluſiſſent; alias vbicunque foramen verſus cælum ſpectaret in naturalib. rebus eſſet indicium cæleſtis influentiæ etiam in caminis. Nota. 3. Impoſſibile eſſe hoc tuum fundamentum: nam vt poſſimus per acciden-

dentia cognoſcere ſubſtãtiam quaſi per vmbrã; quomodò tu deinde per illam *Signatorem* illum, & *Sculptorem* cognoſces rerum naturalium, cùm nulla ſubſtantia vel ſignatura illa occulta in eâdem latens, vt tu quidem ſupponis, nunquã probas, ſub ſenſum cadat; *nihil verò poßit eſſe in intellectu, quod non fuerit prius in ſenſu*: quod videris concedere fol. 199 Et rurſum negare folio 286. Oblitus nempe tui: verum ſi quicquam poteſt cognoſci ſine ſenſuum auxilio in hac vita, cur opus illis? deinde oſtende ſis vllum obiectum quod in hac vita cognoſci poſſit ſine ſenſuum concurſu? puto ſanè te neſcire quot habeas ſenſus, ſi hoc neges? cur. SS. Fides & reuelatio Dei venit in auxiliũ intellectus, niſi quod illa myſteria ſupernaturalia nunquã cognoſcere potuiſſet, nec illorum habere à ſenſibus ſpeciem, ſi prima veritas denique non reuelaſſet Ergo nauci hoc principium eſt, nec potes illud probare, ſed gratis ſupponis ex Iatromagis res omnes naturales habere in ſe Characteres Analogicos cum influentijs aſtronomicis, ſeu planetis. Quare tu cum tuis Proletarijs ſciolis adeò lynceus ſis, vt peruideris hos characteres in vrtica, & Beta, & nemo alius? ad obiectionem ſupra tactã Academicis ex Ægeriæ ſpecie reſpõdeo Ariſtotelẽ cum peripateticis colores nõ ex frigido & calido ſed ex perſpicuo, & opaco cõponere; vt potiùs Plagiarius, quã aduerſarius ſis illorũ.

Sic enim sect. 38. problem 1. & 10. asserunt quædam calore albescere, quædam nigrescere: albedinem in calce & niue indifferentes esse, in marmoribus, radicibus herbarum frigidissimis, in lacte, & ligno putrido exiccato. Nigredinem in pipere, puluere pyrio calidissimo, in fuligine.

XVIII. Fundamentum. 2. est subiectum horum Characterum esse *balsamum radicale, vitale, spirituale, cæleste* actionum in natura principiũ cui vni & soli accepta sint ferenda, quæ nec crasi elementariæ, nec sensui, nec manifestis qualitatibus assignari possunt, & debent. Ratio tua est; quod in rerum natura debeat aliquid dari, in quo rosa latitet hyeme, quod scilicet elementis vtcunque etiam modo corruptis specierũ signaturas inuiolatas contineat ad nouorum indiuiduorum procreationem. hoc ais ab alijs appellatur *Balsamus vniuersæ naturæ, sulphur vitale, radicale semen. Materia prima, mumia Balsamica.* 2. delitescit autem non in alimentario, quo perfunditur humore, nec in fæculentis & crassis sordibus sed in excellentiori quadam humiditate, & in animantibus plantisq; vniuersam corporis anatomiam animale hoc balsamũ occupat, in certis tamẽ animantibus certã magis pratem, & cor. 3. huius balsami quædã partes plantarũ animaliumq; certis morbis antipatheticæ sunt, vt contra sympatheticæ partibus corporis humani iuuando atq; in vigore radicali conseruando. Nota 1. hic te non esse Platonicũ præter tuam mentẽ, qui

nihil dicit latere in materia, sed omnes formas ex Idearum fontibus extra singularia subsistentibus extrinsecus induci: vide in Phædon, Arist. 1. Met. t.25. & 7.t.28. & 11.t. 18 lib 2. de Gen. c 9 deinde incidis in explosam opinionẽ, ante generationẽ in materia quasdā entitates latitare, ex quarũ singulis singulæ postea formæ substantiales producātur. nolo multũ philosophari in re per se absurda: nā eductio de potẽtia materiæ solũ est productio alicuius ex subiecto præexistente concurrẽte in Genere causæ materialis. Sicut creatio est productio ex nihilo cum negatione causæ materialis. nec tua ratio probat entitatẽ rosę debere reseruari per hyemẽ alicubi: satis est vt S. Aug. 3 de Trinit. c.7. &.8 docet, *omniũ quæ ad oculos nostros prodeunt occulta quædā semina in elementis mũdi latere, per quæ illa, quæ in occulto erãt in apertumprogrediũtur: hoc est rationes seminales, siue occulta semina; quæ sunt naturaliũ causarũ virtutes actiuæ, & passiuæ, in quibus tanquā seminibus effecta naturalia continentur, non quod ipsis inexistãt actu, sed virtute:* ad quod plus non exigitur in genere causæ materialis, quam inchoata proportio seu dispositio materiæ ad formā in genere causæ efficientis eiusdẽ inchoata proportio ad effectũ producẽdũ. nota. 2. corruptæ rosæ nihil āplius esse illius in rerũ natura, cũ nihil corruptũ naturaliter redire possit; nec resurrectionẽ mortuorũ vllus homo credere posset, nisi Deus dixisset; igitur hoc principium ad euertendā fidẽ & veritaten tendit.

falſum igitur eſt hoc balſamum in *corruptionibus rerum non interire, ſed elementis & mixtis qualicunq; etiam modo diſsipatis ſeruari*, *vti dicis fol.* 230. Licet enim Ariſtoteles concedat materiam cum accidentibus in corruptionibus ſubſtantialibus ſuperſtitare: negat tamen cum illo rectè Sapientum ſchola vniuerſa quicquam ſubſtātiale rei corruptæ ſupereſſe, *ſeu vitale & radicale* vllius viuentis. Nota. 3. hoc modo res corruptibiles fore incorruptibiles quod eſt permutare vniuerſi ordinem. Vbi ergo jam pones tuos characteres, ſi negetur hoc ſubiectum? ſed fac interim eſſe: vnde probas has ſignaturas illi ineſſe?

XIX. Fundamentum. 3. eſt *experientia*, & vt muginaris, *autoritas* ſapientum, pro. 1. citas Gygis annulum, quem Cicero. 3. De offic. pro fabula habet & Maiolus. colloq. 4. de contingent. Nec niſi græcâ fide Herodoti hiſtoria illa nititur; de radice Salamonis vide Mirandulanum lib. 7. de rerum prænotion. quam incluſa annulo nullam vim habeat antidæmonicam. Sed ad vniuerſas tuas experientias reſpondeo, ſimilia pridem veteres Magos molitos, & expertos eſſe, nec tamen propterea ſine diabolo operatos eſſe: imo licet tu dicas naturales te cauſas adhibere non ſequi tamen, ergo non ope dæmonis hæc facta: cum etiam miracula contra Iob, & Moyſen, S. Aug. lib. 3. de Trin cap. 7 & 8.

conce-

cõcedat vera fuiſſe, vtiq; per cauſas naturales, ſed tamen Acherontis auxilio patrata. pro 2. affers Chael Thetel. Hermetem: priores duo videntur ex illa fæce hominum, quos noſtri Germani appellant Fahrende Schueler / vide Merſen. in c. 2. Gen. verſ. 12. fol. 1166. Hermes illius gentis Philoſophus eſt, ex qua omnis ſuperſtitio prognata Iuu. Sat. 15.

Dimidio magicæ reſonãt vbi Memnone chordæ.

Meſue Pharmacopæorum Euangeliſta dicitur apud Theodor. Zwinger. an etiam ſit Medicorum, & philoſophorum nondum decretum eſt. Itaq; ſi non alios Sapientes adducas, quam Thalmudicos Zingaros, & Arabes Idololatras hoc ſolùm probas, in nulla repub. bene morata te, tuosque Characteres eſſe ferendos. vide *Liu. lib. 29. & 40. Paul. Iureconſult. ad leg. Cornel. ff. de ſica. & Venef. Vlpian. l. 4. § tantundem. ff. de fama erciſc. Dion. lib* 17. denique decretum Honorij, atque Theodoſij L. *Mathemat. c. de Epis. aud.* huiuſmodi namque lib. citas, qui iuxta exemplum Apoſt. act. 19. illuſtrandi flammis eſſent; quid enim differunt Characteres tui à *notulis illis Epheſinis*, quas docuit Archimagus Apollon. apud *Philoſtrat. lib.* 4. quibus vſi omni certamine victoria potirentur? certè *Suidas in Lex.* refert Mileſium cum Epheſio in Olympiis Palæſtra depugnantem ob illos characteres patrios nil potuiſſe, donec iudices adimi litteras iuſſiſſent, tum qui

triginta defatigarat, ſuccubuiſſe. Hic tu Iô Triumphe clamaſſes, tam clara Experientia effectûs characteriſti; ſed iudices illi prudentiores te rem illiberalem & indignam etiam arenâ gladiatoriâ iudicarunt. *Heſich.* ex illis vocibus & notulis refert has: ἄσκι, κατάσκι, αἴξ, δαμναμενεὺς, αἴσιον, τέτραξ. hoc eſt, Tenebræ, Lumen, ipſe, Sol, Verum: vltimæ interpretatio excidit. fecerunt igitur infamem olim *notulæ Epheſiæ*, & tu putas tuas eiuſdem furfuris probari poſſe, tanquam legitimas? Denique ad Salomonios Characteras confugis, quaſi tanti regis purpurâ vetula ſuperſtitio tegi poſſet: eiuſque libellum ais repertum in deſerto apud filios Iſraël: intelligo quàm bonus ſis Chronologus, quia Salomon filiam Pharaonis duxit in matrimonium, ideò fortè cum Moyſe verſatus eſt in deſerto, ibique libellum de magicis characteribus conſcripſit. quis verò Salomon fuerit eo tempore, quo ſcripſit *Incantationes*, *Clauiculam*, & *Annulum*, aliaque Magica, puto te noſſe: ſi talis es tu, habetur intentum. quid nî etiam Numæ Commentarios citas in arca lapidea incluſos & olim in terram defoſſos? Sed iam attende quàm conſtans ſis in tuis dictis; 1. nullam vim ineſſe dicis Characteribus. 2. aliam vim ſuperiorem eſſe, quæ faciat illos efficaces. 3. te non vtendi causâ, ſed tantum ſpeculandi propoſuiſſe fol. 237. primò con-

tradicis

tradicis in omnibus tuis exemplis; vbi ſemper dicis *imago vel figura Falconis V. G. fol. 244. ſi in Topacio ſit, ad acquirendam beneuolentiam Regum, Principum & Magnatum facit:* nec verbum de vlla alia virtute: igitur vel hic, vel ſupra mendax es: ſed ita hujuſmodi περιτεύμματα ἀγύρτης & Agyrtæ circumforanei ſimulant alia, quàm ſentiunt, & homines pro fungis habent. deinde, ſi vir es bonæ fidei, oſtende ſis illam virtutem ſuperiorem. Deum? vnde ſcis omnibus Magorum nugamentis aſſiſtere? an quia os Balaam impleuit benedictionibus, cum ille vellet maledicere populo Iſraelitico? vel quia Pythoniſſæ artes impediuit, & verum Samuelem exhibuit Sauli? vel quia Ochoziæ conſulenti Beelzebub miſit Eliam, & mortem nunciauit? Exhibe vllam promiſſionem diuinam, vel Experientiam vbi Deus iuuerit huiuſmodi ſuperſtitioſa deliria: gratis igitur impingis Deo, quod non potes demonſtrare. recurris igitur ad Influentias fol. 240. his verbis: *Itaque ſi effectus eſt naturalis, etiam cauſa talis erit & contra. Iam autem imaginum ſub certis aſtris ſculptarum effectus naturalis omnino eſt.* ſcilicet. Quæro. 1. an hanc vim & influxum acquirat imago propter conformitatem cum ſignis cœli? ſed inter pleraque tua ſigilla & aſtra nulla eſt: at ſiue ſit conformitas, vel diuerſitas, vtraque tamen ſolùm eſt relatio

vel

vel Denominatio extrinſeca, quomodo poteſt ergo has influentias detrahere cælo? deinde cur non omnes imagines ſculptæ, pictæ, ſimiles, vel diſſimiles Schematiſmis cæli eaſdem Influentias ſortiuntur, & vim ad eoſdem effectus, quos dicis Characteribus tuis ineſſe? 2. an hæc ſimilitudo vel diſſimilitudo naturalis? tu videris ſupra citatis verbis ſupponere falsò: ſolùm enim ab Aſtrologis confictæ illæ figuræ Veneris, Saturni, Scorpionis, Draconis &c. nec in cælo vera hæc monſtra ſtabulantur: inuentum igitur humanum, & arbitrarium eſt, nihil potens ad cæli influxus cōciliandos, niſi tu habeas aliud *impluuium*, per quod cæli certæ virtutes infundantur ſigillis tuis. 3. an vnam ſtellam putas influere cæteris otioſis ex eadem conſtellatione, cum fol. 255. dicis. *Aquarij figura ſi ſculpta fuerit in viridi Iaſpide, & quis ſecum portauerit lucrum præbet in vendendis, & emendis rebus, & ab eo mercatores conſilium quærent, & in ſuum domicilium merces portabunt?* cur vna, non omnes, cùm Aquarij Conſtellatio plures ſtellas includat? ſin omnes: nónne diuerſas, & fortè contrarias virtutes deſtillabunt? 4. quomodo cauebitur, quod mones fol. 284. *vnde in his figuris formandis vnicè ſpectandum, vt is planeta, cuius quis ſibi virtutem, & influxum cupit conciliare ab omni impedimento ſit liberrimus.* quis coërcere poteſt vicinas ſtellas & planetas tunc occurrentes, ne ſimul depluant ſuam virtu-

tem in illam imaginem , & sic mutuò suas vires destruant? igitur sine ratione asseris vnius astri virtutem inseri tali characteri, nisi dum suam influentiam absoluat vna stella, cæteras exoculare velis, aut totum reliquum cælum obnubere tapetibus. 5. vnde cognouisti, si non aliquis arcanus spiritus tibi dixit, has & non alias, huius efficaciæ, & non alterius influentias in hoc sigillum descendisse, cum sanè occultissimæ sint? vt non nisi temerario mendacio tu certas determines cū tuis nugiuendulis. 6. vnde perspectum has influentias adeò permanenter infixas hisce tuis imaginibus, vt nunquam expirent? cùm denique ipse Magnes suam virtutem amittat, nisi ferri scobe, aliisque mediis alatur? Nihil ergo, nisi meram superstitionem spirant hi characteres; vt rectè. S. August. lib. 10. de Ciu. c 9. & 11. vbi cum ex Porphyrio retulisset fieri solere in terra ab hominibus herbas, lapides &c. certis quibusdam figurationibus, atque figmentis, quibusdam etiam obseruatis in cæli conuersione motibus siderum, quæ virtutem idoneam habeant aliquibus exequendis addit. S. Doct. *Totum hoc ad Dæmonis pertinere ludificationes*. vide speculum Rosæcruciorum. c. 9.

XX. Tertium etiam falsum; quod tantùm speculandi causâ attuleris: cùm ita practicè doceas methodum fol. 279. acquirendi Mercurialem influxum pro intellectu, ingenio, memoriaq;

acuẽda, vt in *Geminis vel virgine, in quibus signis suum habet domicilium sit fortis & fortunatus in Oriente vel medio cæli inuenta hora, horæq; minuto, fiat cælestis figuræ vna cum aspectuum delineatione, diligens & artificiosa sculptura in argẽto puro, quæ postea serico albo inclusa reseruatur, tiaræq; eà parte, quà præcisè cerebellum contingit, additis moschi optimi aliquot granis insuitur: præcipuè autẽ de nocte, ac euidẽtius illà horâ, & tempore quo sculptura, & inchoata, & absoluta, operationẽ perficere animaduersum est* hoccine est speculari? sanè sicut fabri, cùm ædificant. Sed vt characterum tuorum vanitas appareat, nugas aliquas hîc enumeremus. 1. si intellectus potest acui cum tãta experientia, vt predicas, cur non aliquando ex stulto fecisti sapientem? at intellectus spiritualis est ad æternitatem ordinatus, incorruptibilis: nihil igitur in illum potest materialis influentia siderum; si enim posset aliqua perficere cur non alia aduersa destruere? quod Atheismum sapit, 2. in somno vbi nullus vsus est ingenij, quomodo acuetur? cur non etiam ebriis cresceret indoles animi, si vapores illi somnulenti nihil officiunt Mercuriali virtuti? 3. cur tam imbecillis hæc vis sideris, vt non nisi per argentum agere possit, non ipsa per se immediatè? iam quod ad modum attinet figuræ quis tam expeditus est artifex, vt illam delineet sub illo aspectu cæli in tanta celeritate motus celestis

pau-

paulo ante & post horam matutinam. 5. vt dicis? vel enim requiris punctum concursûs, vt cæteri Astrolagomagi, vel etiam antecedens & sequens tempus, quod est contra astrologomantes vnice punctuales. Sed & Mercurij cursus etiam num inexploratus Mathematicos vexat: quid ergo tu de re in certa nugaris? quid Moschus illi parti corporis naribus aptior? nône etiam cubito percipies odores? quid denique influentiæ cum moscho, an misceri potest res insensibilis aut componi cum re sensibili? nugæ nugarum. Cur non purgas ingenium tuum elleboro albo sicut ille veterum Phylosophus, fortè maiorem sentires effectum, & præsentiorem. Sed dicis fol. 234. & seq. tuos characteres non esse Goeticos, sed naturales; audio: quomodo probas? non video cit. loc. aliam rationem, quam quod animam tuã diabolo non deuoueris. nego consequentiam, quicquid sit de antecedente: nam etiam olim in septentrionalibus regionib⁹ Dæmones non solùm instar famulorũ domesticorũ familiares erant, quos *Drullos* vocabãt, sed etiã curabant equos industrij alias in omni genere officiorũ; non rarò morbos, pericula vitanda monebant: quos credebãt habitare in occultis ædium locis, vel in congerie lignorum, nutirebantque eos lautè omni ciborũ genere, eò quod afferre solerẽt nutritorib⁹ suis frumentũ ex alienis horreis furto sublatũ: *pollent enim* in quit *Camerar. cent. 1. subsec. cap.* 73. *spiritus illi tenues, & incom-*

pre-

prehensibiles singulari acumine vtpote exercitati lõgissimo vsu & experiẽtiâ. Vnde fit vt ex naturalibus causis longè ante aliquid, & citiùs præuidere, & cognoscere accuratius possint, quam homines corporrâ mole grauati : nonne hæc omnia sunt naturalia, & tamen non sine Dæmone gesta ? nec animi hi deuoti orco; nihilominus teste *Ioan. Meto* miseri Sarmatæ illusionibus & præstigijs stygijs etiam in hodiernum diem exagitantur: non semper diabolus emancipationem paciscitur pro suis obsequijs, præsertim vbi non esse necessarium prænoscit. Nonne decepit Sathan primam parentem pomo, cui dixit inesse vim Deificam ? Quasi vero sub natura diabolus se non posset occultare, cum nihil magis cupiat quàm apud fatuos homines autoritatem sibi conciliare mirandis factis ex natura vel superstitione petitis, & emendicare sibi cultum diuinum, qui pridem *similis esse voluit altissimo* Isa. 14. Dices etiam Catholicos DD. Caiet. 2. 2. q. 96. ar. 2. Albert. Mag. Castro prologom In Proph. concedere characteres, & asteriscos huiusmodi, respondeo. 1. Parum propterea cæteris magnis viris probari & passim refutari hanc doctrinam. 2. tantùm ad materiales & naturales aliquos effectus concedere, tu verò exaltas ad spirituales, & pene supernaturales, vt fol. 236. *Moysen initiatum Magiæ, annulum obliuionis & amoris dedisse Æthiopissæ, vt ipsius obliuisceretur quo etiã facto*

in

in Ægyptum liberè ipſum remigraſſe : præterquam quod fabuloſa ſimilia plurima afferas, tribuis tuis ſigillis, quod ipſorum virtutes excedit. vt Iouis ſigura fol. 255. ſi in *Hiacyntho ſculpta ſit ac in auro ligata & quis talem annulum ſecum portauerit, ſeu figuram huius annuli impreſſam in cera collo ſuſpendat à regibus, & ſapientibus quicquid voluerit, impetrabit* : ergo præ omnibus quiſq; volet impetrare regnum, & ſatis pecuniarum. quid nî ergo pridem rex es? & vbi experientia, hac arte quemque ab alio regnum obtinuiſſe: ſanè hodie non eſſent tot bella, ſi tua ars vera eſſet, deinde Caluinum ſapit hoc artificium; voluntas quippe libera, ſi quid nolit, ad illud nulla vi, vel arte cogi poteſt: non igitur impetrabis à ſapiente, quod voles; præſertim vt talibus deliriis tuis credat. Dæmum omnipotentes facis tuos characteres: & cum Deus etiam ſit rex, & ſapiens etiam illum cogere poterunt ad placita tua: quæ impietas? citati verò autores ſolùm concedunt virtutem medicinalem ſimplicibus tamen ſigillis, quibus ſi addantur characteres impertinentes, vt tu addis, omnino reijciunt tanquã ſigna Demoni pacta; docentque talem figuram Leonis V. G. per conformitatem ad aſtra ſolum eſſe diſpoſitionem ad recipiendam influentiã ab aſtris talẽ, quam aliàs nõ reciperet. Contra quos tamen ipſemet concedis fol. 237. verbis ſupra cit.

figu-

figuram non esse principium agendi, nec ad alterationem, vel ad naturales effectus & virtutes per alterationem producibiles nihil per se conferre. quis enim non superstitiosum iudicaret, qui depingeret in ligno figuram ignis, vt calefactionem melius reciperet, & cur non etiam qui in metallo describit imaginem solis ad influentias illius seu actiones melius recipiendas? *Dices* motum localem aliquid conducere ad figuram: respondetur solum dispositiue, vt agens melius applicari possit loco. prout actioni intentæ magis expedit: nam figura habet proportionem cum vbi, illique naturaliter accommodatur, ideoque seruire potest ad localem applicationem; non autem ad aliam actionem. Sed audi Bodinum tuũ de Dæmonoman. lib. 2 c. 2. chartam *inquit, aut characteres subnecti collo, quicquid inscribatur Astrologicum cum Ioanne Chrysostomo & Augustino statuimus meram esse idololatriam, si ignorantes fecerint: sortilegium verò, si istud illi commiserint, qui nouerunt interdictum, nec eo minus fidem superstitionibus adhibent.* Ioan. item Geor: Gôdelman, Electoris Saxoniæ consiliarium lib. 1. c. 8. de curat. morb. præstig. qui admissis naturalibus & rationalibus curationibus subiicit: *Quãdo res naturales, vt herbæ, in certa cæli constitutione collectæ, characteres, verba, sigilla carmina, quæ nec Qualitate elementari, nec occultis viribus agere possunt, collo aut certis partibus corporis appendun-*

Penduntur, vt cum Hypericon, *aut* Arthymisiæ *ad fugandos Dæmonas in domo suspenduntur, tum illa amuleta fiunt Sacramenta diaboli, & si morbi per tales appensiones curentur, aut aliæ actiones perficiantur non viribus earum rerum fiunt, sed Diabolus ipse ex pacto, vel tacito vel manifesto per illas curat & agit.* vides quam naturalia sint hæc signa? deinde clarius distinguit amuleta in naturalia & superstitiosa. tanquam Hæreticus omittit supernaturalia, quæ sicut virga Moysis vel aqua Zelotypiæ supernaturali vi operantur. *Naturalia inquit sunt licita, & sunt res quæ sua forma substantiali, siue occulta proprietate diuinitus in prima sui creatione indita, semper eodem modo agunt in corpora, quibus applicantur, siue sua sympathia, siue Antipathia, qualia esse creduntur radix & semē Pæoniæ collo appēsa. Item Viscus quercinus in præseruandis & curandis puerulis ab Epilepsia. Item Corallium rubeum orificio ventriculi appensum corroborat ventriculum. Item annulus ex vngula Alces digitis vel manuum vel pedum gestatus, medetur conuulsioni, non sua Qualitate, sed occulta virtute. Superstitiosa amuleta illa sunt omnia, quæ paulo ante de verbis, carminibus, herbis, lapidibus metallis cereis imaginibus*, (modo non intelligat hæreticus sacras cereas imagines, sed planetarias tuas Cocleni quas saltem tanquā sub vniuersali cōplectetur, etiā) *characterib. &c.*

col-

colliguntur, finguntur, ſcribuntur, appenduntur & geſtantur. Quæ omnia ad morbos profligandos à natura nullas habent vires, nec acquirunt à ſtellis, ſed Diabolus per ea tanquam per Sacramenta ſua operatur; en virum non pontificium, ſed heterodoxum, & æſtima cui plus credendum tibi an illi? & diſcrimen inter ſuperſtitioſa & naturalia agentia diligenter aduerte: illa ex tempore ſuam vim acquirunt pro arbitrio alicuius Magi, quaſi conditores Mundi ſint iſta mancipia ſtygis: hæc in prima ſui creatione virtutem actiuam à Deo accipiunt, ſemperque eodem modo operantur: tu verò tum primum Gemmis mirandas virtutes ineſſe prædicas poſtquam ſub certis *conſtellationibus ſculptæ imaginibusq; ac ſignaturis impreſſæ fuerint & ſignatæ fol. 238* quęſo te dic vllam rationem cur non etiam ſcamnum, vel menſa fiat actiua ſi ſub aliqua conſtellatione certa fabricentur, vt illud laſſitudinem, hæc famem pellat: ſi gemmæ ex ſola ſculptura poſſunt acquirere tantam efficaciam?

XXI. Cedo iam tu cum omni tua ſcientia, quam crepas omnibus foliis occultarum virium & Aſtraliſmi, quî diſtinguentur Naturalia à ſuperſtitioſis periaptis? videris conari, fol. 239. his verbis. *Quare in ſingulari facto, non aliam præterquam quæ nobis videtur eſſe, ſtatuere cauſam, temerarium duco. Quis enim negare poteſt, diuinitus, aut genij alicuius* (nigri an albi dic.) *virtute: aut*

etiam

etiam causis accidentariis & fortuitis, posse produci effectũ similem naturali: o caput tribus Anticyris insanabile: ideone tui characteres naturales, &non superstitiosi, quia similem illis effectum Deus, Genij, vel causæ fortuitæ possunt producere Quis denique effectus foret magicus? cui modo hæ causæ possent producere similem, jam esset naturalis: & cui Diabolico portento Deus vel Angeli boni non possent similem efficere? atque ideone quod rupes quædam maris fluctibus paulatim exesæ, & quibusdam cauernulis & foraminibus ita pertusæ fuêre, vt satis profundæ & sonoræ ad proportionem harmonicam ventorum vi musicam casu consibilarint, etiam per præstigias orci consona mele sagarum non sunt Acherontica? folio 234. clarius distinguis: *facere statuas è ligno vel alia materia loqui, & ad propositas quæstiones respondere, moueriq; motu progressiuo. 2. manifestare quædam occultissima, vt res quæ geruntur, vel dicuntur in remotissimis regionibus, quæque quis dixit, vel fecit ais esse mentis cuiusdam sublimioris opera, quam est humana, prædictasq; operationes non perfici causis naturalibus*: hæc tamen omnia tui Athei symmystæ causis naturalibus tribuunt, vt apparitiones Angelorum Agrippa magister tuus in vectore spiritu, Catoptricæ; mirabiles curationes morborum Idiosyncrasiæ seu temperamento, quod Gentili fulginati Petrus Aponensis tribuit:

Et Abenragel ex ſiderum ſibi cognita poſitione infantem naſcentem vaticinaturum prædixit, qui poſt 24. horas à natiuitate ſuam paternæ familiæ calumnias imminentes denunciauit: vide conciliat. expoſit. 27. problemat. apud te vero. fol 244. *Aſini imago ſi in Chryſolito ſit virtus eius erit futura prognoſticare & prædicere*: vbi tibimet contradicis, futura ſi quidem prædicere difficilius eſt quã facta; quis ergo ſupereſt effectus, qui in ſchola tua non reperiat cauſam naturalem, ſi hic poteſt è gemma naſci propheta? video vero te ſimulatorem eſſe inſignem, quædam verba effutis ſubinde, tanquam diſſentires à Pomponat. lib. de incantat negante omnem Dæmoniacam, magiam, & à Cardano, Forliuio, Garbur, Fulginate, Aponenſi omnia τῇ ἐυκρασίᾳ rerum aſcribentibus, cùm tamen ἐν ἀυτοφώρῳ deprehenſus hos omnes errores ſupponas. Ex quibus facile eſt monſtroſis illis effectibus naturales cauſas aſſignare. Sed vide quam teipſum prodas: ſi nullus alius effectus eſt ex præſtigiis, niſi duo illi ſupra numerati, tunc omnia Veneficia Medeæ, Anthropomorphoſes Circeæ Theſſala Volumina, cantamina Appuleiana, Sagarum vehicula ſunt legitima, Diabolicique commercij eximia: nec enim hæc in illis numerantur: quod nec ius, nec leges concedunt, nec ratio naturalis. quid enim ſuperſtitioſius illo Quinti Sereni Medicinæ, c. 21. & ſimilibus?

Inſcribes

Inscribes charta, quæ dicitur Abracadabra
Sæpius. & subter repetes, sed detrahe summam,
Vt magis atq; magis desint elementa figuris
Singula, quæ semper rapies, & cætera figes,
Donec in angustum redigatur littera conum.
His lino nexis collum redimire memento.

Abracadabra
Abracadabr
Abracadab
Abracada
Abracad
Abraca
Abrac
Abra
Abr
Ab
A

Hæc tamen vniuersa tu iure Naturæ donas: Sed ipsos characteres tuos aliquot inspiciamus.

I. Conditionem aliquam requiris fol. 244. vt in conuenientibus lapidibus sculpti magna cum reuerentia & deuotione gestentur & custodiantur, tum multarum mirandarumque virium esse: vnde repentina hæc tua religio? nempe si quis fol. 241. *ad Lætitiam Venustatem roburque corporis imaginem* Veneris *poma floresq; tenentis gestet*, casta & sancta cogitabit? deinde nonne hæc est stolidissima Idololatria reuerentiam & deuotionem requirere ad imaginem Veneris gerendam? quod ad efficaciam attinet, non credo posse naturam expelli hac icone, vt ex tetrico & melancholico facias sanguineū

& lætum , hominem omnium horarum:

II. *Tauri imago si inpressio sit ad maleficia iuuare dicitur & in Magisteriis gratiam præbet:* hic amphibologia est an promoueat, vel tollat veneficia, prius nefandum ; posterius impossibile: non enim tolluntur veneficia nisi amoto fascino, vel impedito ne possit agere. 1. tua figura nunquam faciet, præsertim si sub limine fuerit defossum, nunquam extrahet inde. 2. solus Deus potest, & subinde causæ secundæ antipatheticæ nonnihil impedire, si veneficium naturalibus a-cti & passiuis constet (etenim in herbis , lapidibus & aquis ac reliquis naturalibus rebus mirificas inesse virtutes, hominibus quidem ignotas, quas tamen dæmones cognoscentes , citissimo quodam motu afferre possunt , quocunque velint ad insolentissimos effectus demonstrandos *testatur Soto de Iust. & iure libro. 8. q. 3. a. 2.*) ita Arist. Plin. Rutam, Gagaten, Hyenæ pellem præscribit contra veneficia ; valent enim contra dispositiones corporis , quibus dæmon abutitur, ideoque indirectè refragantur Dæmonis actioni: cum vero præter hanc actionem naturalium agentium plerumque adhibeat suum motum localem ad diuellendas aliquas partes intrinsecas corpori excantato , vel inserendum aliquid extrinsecum, vbi sola est diuisio continui cum maximo dolore coniuncta, & similes modi actionum sexcenti : certe tuis illis asterismis, liccet effi-

cacia

cacia naturali pollerent, nec hilum promoueres. Sed quid Magiſtros iuuare poteſt tauri effigies: niſi intelligas Magiſtros laniones? deinde in plurimis Academijs Magiſtri plerumque creantur poſt ſolſtitium æſtiuum, vel in autumno: tu tamen *fol.* 278. notas *quodlibet ſignum quamdiu ſol in eo eſt, viuum fieri, cæteriſq; dominari, effectumque eius præ alijs ſentiri, ideoq; ſemper plantam dirigendum ad locum eſſe, id eſt ſignum, faciem, gradum, quem ſol illuſtrat.* At ſol tunc non eſt in tauro: nihilominus doctiſſimi viri creati ſunt Magiſtri ſine hoc taurino influxu: cui adiungendum ne etiam erit accuratum ſtudium necne? ſi prius, bona indoles non eget bubula influentia: ſi poſterius; ex caudice, qui natus veruecum in patria cum tuo tauro nunquam facies Muſageten. III. *Vpupæ figura cum Dragontea herba ante ſe, ſi in Beryllo ſit, virtutẽ habet aquaticos prouocare ſpiritus, & loqui cohibere, deque quæſitis ab eis reſponſa recipere.* Nondum fatebere te Necromanticum eſſe? tuis te verbis iugulas fol. 233. vbi *Goetiam* dicis *eſſe inuocationem malorum ſpiritum*: & quid hic aliud doces? nunquid Aquatici hi ſpiritus dæmones ſunt, à quibus olim oracula petebant, quæ tu nouus Idololatra reuocare cupis, vide *vitam S. Bernardini* qui Aretinos ad eiuſmodi fontem conſulentes Dæmonem publica concione dehortatus; *& mox accepta ſecuri vel malleo cum populo egreſſus ad fontem,*

 cumq;

cumq; ad fanum dæmonis peruenisset, primus ipse ictibus cæpit contundere, euertitq; aram, & fontem lapidibus penitus obturauit. horum fallacias secutus Andronicus perijt apud *Choniatē*; cum Hydrodæmon interrogatus de successore S. de in. I. expressisset in aqua, suspicatus ille Isacium comnenum designari, qui ab Isauria digressus Cyprum occupauerat; iterum interrogat de tempore; responsum ad exaltationem crucis; quo breui spacio cum ille aduentare non posset ob distantiam, neglexit oraculum; sed ad prænunciatum tempus Isaci Angeli, quem semper tanquam imbellem spreuerat, iussu occisus fuit: considerent hic curiosi, quam in perniciem hi magistri ducant. Tu vero Gocleni, toto libello te excusas criminis magici; qua fronte? tam domesticus orco? vt dæmones ad nutum doceas euocare? figura nempe tantam vim habet ad hoc negocium, quam veneficarum ollulæ ad tempestates. Quatuor similes habes alias imagines eodem fol. 245. *camelini capitis, vel duarum caprarum* ad conuocandos, congregandos & constringendos dæmones. Quis bonus Christianus cupit conuocare stygem, vt tu audeas hanc artem tanquã honestam vẽditare? quis hoc, nisi carnifex profitetur, vt sagas cõgreget in foro? *vulturis in Chrysolito*: quæ præterea gestanti dæmones faciat obedientes: Quadratè stultus es. Qui omnipotenti Deo noluerunt obedire; credisne

disne niseris mortalibus æui parituros? qui repudiat Imperatorem, seruiet Statio stabulario? *vespertilionis in Heliotropio* potentiam resistendi Dæmonibus. *Nunquid pones circulum in naribus eius? Iob.* 40. v. 21. *qui factus est vt nullum timeret.* 41. v. 24. Hem miseriam hæreticorum: Ecclesiæ Catholicæ honestissima contra stygem auxilia aspernantur, & vespertiliones sordes animalium auerruncos credunt; *ita qui nutriebantur in crocis amplexati sunt stercora Thren.* 4. v. 5. *vrsi in amethysto* fugandi Dæmones virtutem habent. scilicet quia bipes & quadrupes incedere nouit: fol. 251. *viri stantis supra Draconem* (in ludibrium Sanct. Michaelis) &c. *obedient omnes spiritus subterranei & reuelabunt omnes thesauros leui carmine*: quis adhibet hæc carmina nisi Geomantici? ex his patet. 1. te non lingua vel calamo lapsum, vt proderes Dæmonomagum, & si neges deinceps, perinde creditum iri, ac si iurares Iouem lapidem illum qui Christo se adoranti promisit omnia regna mundi fuisse gemmularium. 2. nunquam amuletum aliquod Characteristicum naturale esse: sicut fuit *apud Osor. lib. 7. de rebus Africis & Indicis* Nahodabeguæ principis Malacensis cadentis in conflictu Albuquercij; cuius tamen è vulneribus nihil sanguinis stillabat, donec armilla aurea detraheretur spoliato à Lusitanis, in qua lapis fuit, (qui eruitur ex animali, quod

Siamenses Cabrisiam appellant, qui talem vim ad sanguinem sistendum habet) qua dempta ex omnibus vulneribus erupit sanguis. Quare apud Marcel. lib. 19. totum hoc genus amuletorum, tanquam capitale prohibitum & punitum fuit legibus Imperatorum.

§. VI.

Vnguenti Descriptio & vsus.

QVod ad *descriptionem* attinet, reperio in illa *rec. vsneæ* concretæ in caluaria furis suspensi, & in aëre derelicti: *mumiæ* veræ, quæ apud *te Mirab. Nat. lib. fol.* 11. est sanguis concretus corporum Ægyptiorum myrrha, aloe, casia, amomo & id genus aliis odoriferis conditorum: *sanguinis* humani adhuc calentis sing. vnc. 1. &c. quæ sane sunt horridissima, nimirum ex patibulo desumpta: Mumias in medicinis damnat etiam omnino Erastus. atque vt compendio dicam, simillima sunt omnia pollincturis sagarum, aliorumque veneficorum, quibuscum Dæmon ferè nunquam paciscitur sine huiusmodi euisceratione corporis humani, cuius sanguinem sitit: vt patet ex tot infanticidiis veneficarum & maleficiis coniuratis in totum genus hominum, & decreto Pseudothei

Dæ-

Dæmonis in conuenticulis nocturnis proclamari solito *vlciſcimini vos, alioqui moriemini* apud *doctiß. Delrio lib. 2. q. 16. diſq.* Quare cum calentem exigas cruorem hominis, videris vel Magicam, vel Iudaicam inſinuare phlebotomiam in alieno corpore. *In vſu vnguenti* laudo, quod ſtipites vel ſimiles res inanimes, & exſenſes iubeas illo pollinciri: nec enim alio ſubiecto dignius eſt: *de modo*, quo iubes adhiberi, multa ſuſpecta ſunt. 1. *quod immergendum telum, vel in huius defectu lignum ſeu ramus ſalignus in apertura cruenta madefactus, in vnguentum.* Quid ſi quis vaginam pro gladio vngeret, quæ tanquam coriacea magis egeret? vel lapidem cruentatum aliquem vulnere ſanguinante: cur enim lignum & non lapis poſſet ſubſtitui ferro, ſi non intercedit pactum Diaboli ad illud, non ad hunc concurrentis? 2. *quod attendendum cæſim ne an punctim factum ſit vulnus. in punctura telum inungendum à cuſpide capulum verſus, in cæſura ab acie verſus tergum.* hæc luculenta ſuperſtitio eſt: ſi vnguentum naturalis cauſa eſt, quid iſte modus ad rem facit: ſiue potionem medicam dextra ſiue ſiniſtra ſine pacto Diaboli porrigas, eundem effectum habebit; nec enim iſte modus vnguento aliquam Qualitatem ſuperaddit: denique vtrouis modo linas lignum, ex tuo arbitrio pendet vttra ſuperior ſit pars, vel

inferior: quid faceres, si capuli contusione, perinde ac si punctim foret vulnus factum? cætera mitto: sunt enim aniles superstitiones: sic passim insigunt à vetulis edocti messores in aruinam cultros vt curentur: item nuper à viro clarissimo relatum est: cum agitatione canis ouicula pedis anterioris crurifragium passa esset, isque pauperculo satisfacere cogitaret, cuium erat pecus; intellexit à seruo curatam jam esse ouiculã, quod villicus sellæ tripodis pedem obligasset. Viden gemellas tuæ superstitiones Medicationes?

Verum vt finem faciam tuarum nugationum, video demum ignorare te vim emplastrorum & vnguentorum; tu tribuis illis vim per se sanandi, cum sint tantum per accidens sanantia *teste Minder. Thren. med. cap. 14.* vtpote rescindentia sanationis & consolidationis impedimenta: quæ sunt pus & externæ iniuriæ: itaque repurgatum vulnus quotidie & siccatum absque emplastro, sed per hoc commodius curatur: ita canes & vrsi sola lambitione, quæ mundificationem præstat, ex qua consolidatio vulneris consequitur absque vnguento armario sanescunt, quod non tam linctui salutari, quam repurgationi per crebrum linctum procuratæ ascribendum merito judicat *cit. Mind.* Ossis autem fracturæ nullam aliam opem nec operam præstat Chirurgus, nisi quod iuncturas rite inter se compingat & arcta ligatione, ne rursum luxari queant, confirmet;

reli-

reliquum Nàturæ committat. Vnde cum tu præter teli axungiam diligentem vulneris curam imperas, per hanc non per illam curatur, aut ex pacto diabolus huius vnguenti actiua passiuis applicat in vulneris loco: nec te ab hac infamia Maximilianus Imperator liberabit, cum sine autore illum cites, nec dicas. 1. an. 18. sit. Quare si sapis ab hac Insania magica resipisce.

Ad Maiorem Dei Beatissimaque Virg. honorem.



INDEX



INDEX PRÆCIPVARVM Quæstionum.

EX §. PRIMO.

congreßu cum Planetis illorum vim & naturã imitari fingunt, dependeant & inde Originem suam habeant? fol. 13. & seqq. N. 6.

VI. *An quodlibet indiuiduum sub determinata cõstelatione incipiat, accipiatq́; præter temperamentum primarum qualitatum aliud, nimirum confectum ex occultis Astrorum viribus propter varias operationes?* fol. 17. N. 7.

§. II.

VII. *Quomodo propagetur in distans Virtus illa Magnetici Vnguenti?* fol. 24. N. 9.

VIII. *An huius propagationis sit vera & radicalis causa virtus Magnetica, quaue ratione id probetur?* fol. 27. N. 10.

IX. *An telum in prima sui generatione acquisiuerit sympathiam cum Vulnere, aut an primum per artem ipsi infundatur?* fol. 28. & seqq. N. 10.

X. *An* (spiritus ille) *poßit sympathiam ex definitis & propriis constellationibus inducere ac vim sanatoriam vsque ad partem vulneratam traducere, sine accidentis ex subiecto in subiectum Emigratione?* fol. 32. & seqq. N. 11.

IX.

EX §. III.


EX §. V.

EX §. VI.

Errata

Errata sic Emendata.

PAgina 7.℣.4 Auerroiſta. lege Auerroiſtas. p.8 ℣ 15.In eolam.leg.Incolam.p.10.℣.penult.vllum.l.vllam.p.20.℣.19.Exuernit l.Exuerint.p.29.℣.15.ſonatiuam.l.ſanatiuam.p.35.℣.1. ſtella.l.ſtellę.p.36.℣.4.tortiorem l.fortiorẽ.p.37. ℣.14.Ariente.l.aiente.p 41.℣.vlt. terræ.l terra. pag. 42.℣. 13. XI. l. XIII. p.eadem ℣.20.ſcerebrum.l.cerebrum.p.47.℣ 13.hellebero. l. helleboro.p.eadem.℣.vlt.ad l.con- p.48.℣ 7.connotatiorem,l.connotationem.p.53.℣.19. ſingulos. l.ſingulis.ibid.alterias.l alterius.ibid.credibilias, l.credibius.p.eadem.℣.20 quam. l. quem p. eadem.℣.21.quum.l.quàm.p.57. ℣. 18. nugumentum l nugamentum. p.64.℣.15.pratem.l.partem p.66.℣.7.vinuerſa.l.vniuerſa.p.eadem.℣.20. Salamonis l. Salomonis.p.74.℣.5.corporra.l. corporeâ.p.75.℣.7. ſæpientibus.l.ſapientibus.p. eadem.℣.17.dæmum.l.demum.p.eadem:℣.24.demoni.l.dæmoni.



195

5-